Bibliothek für Philologie zu Breslau.

ACAD. ALB. REGIM. 1883. I.

INDEX LECTIONVM

IN

REGIA ACADEMIA ALBERTINA

FRIDERICO GVILIELMO

HEREDE IMPERII GERMANICI ET MONARCHIAE

ACADEMIAE ALBERTINAE RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

PER AESTATEM

ANNI MDCCCLXXXIII. A D. XVI APRILIS

HABENDARVM

INSVNT HENRICI IORDANI SYMBOLAE AD HISTORIAM RELIGIONVM ITALICARUM

REGIMONTII
EX OFFICINA HARTVNGIANA

1883

ACADEMIAE ALBERTINAE PRORECTOR

PAULUS KRÜGER.

Dr. P. P. O.

SYMBOLAE

AD HISTORIAM RELIGIONVM ITALICARVM

Sexaginta sunt paulo plus aut minus anni, ex quo Christianus Augustus Lobeckius pestem quandam in religionum antiquarum fines ex oriente ingruentem coniuncta cum Ioanne Heinrico Vossio opera fortiter reppulit. cuius victoriae tropaea manent manebuntque sempiterna. sed ea est profecto humanarum rerum condicio, ut vel praeclari ac paene divini ingenii homines veritatem dum solam atque integram sectantur tamen non amplexentur nisi dimidiatam, scilicet ignari quid posteris venturum sit e nova argumentandi materia. quae materia quod numquam desinit succrescere, ea ipsa re ars nostra alitur et sustentatur. quare siquis in verba magistri illius nunc quoque iuraverit, haud ille levius peccaverit quam ei, qui universam studiorum nostrorum rationem Scaligeri Bentleique aut etiam Aristarchi nutu atque arbitrio in perpetuum temperari debere autumant. sed quo magis in dies secta eorum decrescit, quibus victoriae illius splendor aciem oculorum ita praestrinxit, ut ne videant quidem quae interim succreverint, eo magis verendum est ne quibus parta est ipsa armis, ea per socordiam hebetari patiamur: artem criticam rectamque interpretandi rationem. dixerit quispiam inanem esse istam curam, siquidem quod tum paucorum fuerit privilegium, eo nunc tanquam iure communi utantur omnes. verum enimvero longe aliter res se habet. quid enim? anne quis quem in hac litterarum luce versari crediderit qui se dubitare significaverit an ad Martis dei oraculorum patroni naturam declarandam carmina Marciana pertineant, nimirum Gnaei Marcii vatis opuscula, sive genuina sint sive antiquo tempore suppŏsita? aut qui Veiovem fulminum iaculatorem finxerit Ovidii ille antestatus illa *fulmina nulla tenet?* scilicet ignorasse nos *nulla* vocabulum ibi *novella* significare eiusque rei glossam nuper tenebris ereptam nescio quam locupletem esse testem. et florent hoc genus gemmulis neotericorum grammaticorum qui in veteris Latii originibus inlustrandis versantur volumina. quare quo maiore novarum rerum incremento affluimus eo magis curandum est ut armorum illorum veterum usum et exercitium et doceamus iuventutem litterarum studiosam et nos ne dediscamus earum doctores. haec autem quo consilio symbolis ad historiam religionum italicarum pertinentibus proluserim, et ipsae aperient et ut prolŭderem causam habui singularem.

Nam cum publici fient iuris hae symbolae, decimus agetur annus cum Karolo Lehrsio lobeckianae disciplinae et vindici acerrimo et felicissimo interpreti honorem doctoris philosophiae per quinque lustra gestum in hac academia gratulati sumus conlegae discipuli amici. quodsi mihi licuisset opus illud, cuius tum specimen gratulabundus ei obtuli, perficere, nunc integrum piae memoriae viri clarissimi dedicarem. ea res cum secus acciderit, hoc sedulo curavi ut materia saltim ea, quae mihi hoc prooemio pertractanda esset, non nimis a campo studiorum eorum abhorreret, in quo ille palmam tulisset. ita cum ego quoque adnisus sim ut quod eius fieri possit decennalibus illis celebrandis contribuerem, tamen sentio quanto praestet huic meo munusculo tempestivum eorum ornamentum, editus tertium post quinquaginta annos his ipsis diebus liber de Aristarchi studiis homericis.

I DE NOMINE PANTHEI

Pantheo Marci Agrippae, quod saeculorum undeviginti decursu ita non est labefactatum. ut tanquam sacrarium nominis romani atque reviviscentis Italorum gloriae videatur in omne aevum esse duraturum, unde nomen impositum sit, adhuc ambigitur. et quoniam huius templi splendor virorum egregiorum, inter quos Guidonem Baccellium virum excellentissimum honoris causa nomino, opera saluberrima nunc potissimum augetur, detractis quae a tergo ei insederant molibus omnique aedificii structura luminibus doctarum perquisitionum inlustrata, haud absurdum esse existimavi in solutione eius quaestionis quae est de nomine aedificii denuo periclitari.

Ac primum quidem ne quis nomen *Pantheum* ab ipso conditore, a quo epistylio non est inscriptum, inventum esse dubitet, non solum Severi et Caracallae titulus, restituti quadamtenus ab eis aedificii memoriam paulo superbius praedicantis verba illa *Pantheum vetustate corruptum cum omni cultu restituerunt,* non solum constans litterarum antiquarum consensus, inter quas testimonia catalogi aedificatioum Domitiani et Notitiae regionum plurimi facio, abunde demonstrant, verum etiam testimonium his omnibus et aetate superius et auctoritate certe haud inferius, actorum fratrum arvalium: in his enim cum legimus sacrificium Deae Diae die 12. m. Ian. a. 59 indictum esse *in Pantheo,* nostro iure videmur nobis nomen M. Agrippae vindicare. sed is quid eo significare voluerit, licet Neronis aetate vix cuiquam dubium esse potuerit, tamen haud magno interiecto tempore vel hominibus cultioribus, qui Romae versarentur, non omnibus aeque constitisse, Cassius Dio docet, homo origine quidem externa, verum et summis imperii romani honoribus functus et rerum urbanarum peritus. is igitur imperante Severo Alexandro de origine Panthei sic disserit 53, 27: *τὸ τε Πάνθειον ὠνομασμένον ἐξετέλεσε . προσαγορεύεται δὲ οὕτω τάχα μὲν ὅτι πολλῶν θεῶν εἰκόνας ἐν τοῖς ἀγάλμασι, τῷ τε τοῦ Ἄρεος καὶ τῷ τῆς Ἀφροδίτης, ἔλαβεν, ὡς δὲ ἐγὼ νομίζω ὅτι θολοειδὲς ὂν τῷ οὐρανῷ προσέοικεν . ἠβουλήθη μὲν οὖν ὁ Ἀγρίππας καὶ τὸν Αὔγουστον ἐνταῦθα ἱδρῦσαι τήν τε τοῦ ἔργου ἐπίκλησιν αὐτῷ δοῦναι · μὴ δεξαμένου δὲ αὐτοῦ μηδέτερον*

ἐκεῖ μὲν τοῦ προτέρου Καίσαρος, ἐν δὲ τῷ προνάῳ τοῦ τε Αὐγούστου καὶ ἑαυτοῦ ἀνδριάντας ἔστησε. in quibus illud ἐν τοῖς ἀγάλμασι e. q. ss. editoribus aliquid offensionis habere visum est. itaque ἅμα τοῖς ἀγάλμασι correxere, conatu ut mihi videtur infelicissimo: ego siquid corrigendum sit scripserim quod a memoria codicum — si tamen recte de eis relatum est — propius abest σὺν τοῖς ἀγάλμασι. utcumque est: apparet hoc dicere Dionem, cum sacris Martis et Veneris, qui templi illius primarii patroni fuerint, simulacris, aliorum ibi deorum multorum signa dedicata esse; ab eo autem complurium deorum consessu volgo putari Pantheum, quasi πάντων θεῶν sedem, nuncupatum esse: eam autem opinionem cum sese improbare dicit, videlicet ratus tholum aedificii ingentem caeli figuram referre, significavit ipsum vocabulum, quod est *pantheum*, sibi visum esse non ab omnium deorum consessu, sed a caeli similitudine originem ducere. quae opinio quam non eum fefellerit, infra apparebit. sed quoniam de graeca vocabuli origine dubitari non potest, primum videndum est quaenam eius supersint inter Graecos vestigia.

Duorum eius nominis templorum sive sacellorum notitia ad nos pervenisse vulgo putatur, alterius ab imperatore Hadriano Athenis facti, alterius quod Olympiae fuerit perveteris. sunt tamen qui illud solum admittant, hoc scriptoris cuiusdam graeci librariive imperitia procreatum existiment. ac de illo quidem mire falsi sunt omnes. nam qui solus Hadriani aedificium commemoravit, is πάνθειον nomen non solum tacet, verum ne fando quidem videtur audivisse. narrat Pausanias 1, 18, 9: Ἁδριανὸς δὲ κατεσκεύασατο μὲν καὶ ἄλλα Ἀθηναίοις, ναὸν Ἥρας καὶ Διὸς πανελληνίου, καὶ θεοῖς τοῖς πᾶσιν ἱερόν. at paulo ante (c. 5, 5) dixerat Hadrianum laterculum aedium sacrarum donorumque, quae Graecis largitus sit, tanquam in archio condidisse ἐν τῷ κοινῷ τῶν θεῶν ἱερῷ. praeterea idem haud semel eisdem verbis alia sacella nominavit: Corinthi θεοῖς πᾶσιν ἐστὶν ἱερόν (2, 2, 8), Orneis ναὸς θεοῖς πᾶσιν ἐν κοινῷ ἀνειμένος (2, 25, 6), Marii ἱερόν ἐστιν ἀρχαῖον κοινὸν θεῶν πάντων (3, 22, 8), nec non arae commemorantur θεοῖς πᾶσιν ἐν κοινῷ dicatae (5, 14, 8; 15, 1. 10). haecine templa sive sacella omnia panthea et fuisse et appellata esse, Pausaniam autem proprium quo et consecrata essent et sermone populi vocarentur nomen non semel, sed deciens tanquam scopulum vitasse? ne hoc quidem largior in solo Hadriani templo Pausaniam istis vocabulorum ambagibus usum esse. quod ut faceret ille scilicet imperatoris aequalis, nec semel faceret sed bis deinceps, et semel quidem (c. 5, 5) ibi, ubi quam maxime interesset lectoris proprium nomen aedificii cognoscere, nulla omnino causa erat. neque vero refert utrum Pausanias de viso haec testatus sit an excerpserit e libris aliorum. in quibus si πάνθειον identidem nominatum invenisset, non tacuisset. atque illa quidem sacra deorum omnium quo pertineant, demonstravit Lehrsius libri ad religiones Graecorum pertinentis, quem inscripsit *Populäre Aufsätze*, p. 248 s. ed. alt. conlata formula comprecationis εὔχομαι θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις. cuius formulae sollemnitatem praeter ea testimonia quae ibi exposita sunt Aeschines or. c. Timarchum § 116 aperit, rationem Lycurgus Leocrateae initio εὔχομαι γὰρ τῇ Ἀθηνᾷ καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς καὶ τοῖς ἥρωσι κατὰ τὴν πόλιν καὶ τὴν χώραν ἱδρυμένοις, quique huic loco inlustrando multum confert titulus Dreri repertus

post alios a Cauero editus Delectus n. 38: *ὀμνύω τὰν Ἑστίαν* (secuntur Iuppiter, Apollo, Minerva, Apollo cum Latona, Diana, Mars, Venus, Mercurius, Sol) *καὶ τὸν Βριτόμαρτιν καὶ τὸμ Φοίνικα καὶ τὰν Ἀμφιώναν καὶ τὰγ Γᾶν καὶ τὸν Οὐρανὸν καὶ ἥρωας καὶ ἡρωάσσας καὶ κράνας καὶ ποταμοὺς καὶ θεοὺς πάντας καὶ πάσας* e. q. ss. prorsus similiter in sacris romanis post certa numina nominatim invocata deos deasque ceteros omnes solitos esse invocari Brissonius docuerat De formulis libro I c. 88: accedunt tituli paene innumeri per totum orbem romanum sparsi vel *dis omnibus* vel *dis deabus* vel *Iovi optimo maximo dis deabus* (aut *ceterisque deis* aut etiam *et consessui deorum omnium* vel *consentio* hoc est *consentibus*) sacri. de quorum temporibus atque ratione rectius iudicabitur, cum homines antiquitatum sacrarum studiosi didicerint hasce potius copias, quae iu propatulo sunt, labore frugifero in rem suam convertere quam cascas Aboriginum religiones tanquam per nubes nebulasque sectari. quidni igitur Hadrianus imperator templo Athenis facto titulum eiusmodi *ΘΕΟΙΣ · ΠΑΣΙΝ · ΙΕΡΟΝ · ΚΟΙΝΟΝ* incidendum curaverit? mireris profecto quod ea de re ne dubitaverint quidem qui Athenarum urbis antiquitates enarraverunt. sed iniquius de eis iudicaveris, qui rem omni testimonio destitutam et suapte natura parum probabilem pro firmo criticarum rationum fundamento habuere. nam quod in Pseudaristotelis libro *Θαυμασίων ἀκουσμάτων* c. 52 narratur de pantheo aliquo sive olympico sive atheniensi, id propter panthei potissimum mentionem putatur post Hadrianum demum imperatorem a grammaticis interpolatum esse: scilicet de olympico id genus aedificio cogitari non posse, debere cogitari de atheniensi, utpote incluto. vides quo illi devenerint: nam cum nullum videatur fuisse Hadriani pantheum Athenis, facile dixeris olympicum ibi esse intellegendum, concidere autem quaecumque de interpolatione libri Pseudaristotelis sane quam artificiose excogitata erant.

Invitus accedo ad enarrandum illud libri pseudaristotelii capitulum: an putas quemquam inventum iri qui isti tanquam cuidam spineto manus sponte sua inserat, unde peritissimus quisque grammaticorum male mulcatus abiit? ducit agmen eorum qui diversa inter se atque contraria tentando alius alio infelicius rem gesserunt Hemsterhusius commento in Plutum aristophaneum 586: secuti sunt, ut in clarorum virorum nominibus adferendis me contineam, Heynius in adnotationibus ad Pseudaristotelem a Beckmanno editis p. 414, Boeckhius in Scholiis pindaricis p. 102 adn. 7, Dindorfius in aristophaneis p. 571 s., Ahrensius in editione Bucolicorum t. II p. 491 s. sed ut sciat lector quid rei sit, primum verba Pseudaristotelis adscribam a Bekkero editionis berolinensis p. 834 a 12 ss. e codicibus restituta, eisque inseram lectionis discrepantiam si qua est in libris eorum qui a memoria Pseudaristotelis pendent, in scholiis Pluti aristophanei v. 586 venetis (S) quae verbo tenus e nostro excripta sunt (nam in rauennati codice manca leguntur) et in Suidae, qui haec rursus fideliter transscripsit, lexico t. II p. 359 Bernh. *κοτίνου στεφάνῳ*, in scholiis theocriteis: subscribam autem supplementi instar integra scholiorum theocriteorum et pindaricorum verba, quippe quae eodem ex fonte fluxere: quibus de rebus infra adcuratius dictum est.

Ἐν τῷ Πανθείῳ ἐστὶν ἐλαία, καλεῖται δὲ καλλιστέφανος · ταύτης πάντα τὰ φύλλα [*ταύτης δὲ ἔμπαλιν τὰ* S] *ταῖς λοιπαῖς ἐλαίαις ἐναντία πέφυκεν · ἔξω γὰρ ἀλλ' οὐκ ἐντὸς ἔχει τὰ χλωρὰ . ἀφίησι δὲ* [*τὰ λευκὰ ἀφίησι τε* S] *τοὺς πτόρθους ὥσπερ ἡ μύρτος εἰς τοὺς στεφάνους συμμέτρως* [*σμμέτρους* S] *. ἀπὸ ταύτης φυτὸν λαβὼν ὁ Ἡρακλῆς* [*ταύτης λαβὼν καρπὸν Ἡρακλῆς* S] *ἐφύτευσεν Ὀλυμπιάσιν, ἀφ' ἧς οἱ στέφανοι τοῖς ἀθληταῖς δίδονται . ἐστὶ δὲ αὕτη παρὰ τὸν Ἴλισσὸν* [sic etiam S: *εἰλισσόν, ἑλισσον* codices duo Suidae] *ποταμὸν, σταδίους ἑξήκοντα τοῦ ποταμοῦ ἀπέχουσα* [*σταδίου ξ' τοῦ ἱεροῦ ἀπέχουσα* S: *ἥτις ἀπέχει σταδίων ὀκτὼ* Schol. Theocr.] *· περιφκοδόμηται δὲ καὶ ζημία μεγάλη τῷ θιγόντι αὐτῆς ἐστίν. ἀπὸ ταύτης δὲ τὸ φυτὸν λαβόντες ἐφύτευσαν Ἠλεῖοι ἐν Ὀλυμπίᾳ καὶ τούς στεφάνους ἀπ' αὐτῆς ἔδωκαν* [*ταύτης ἔφερον λαβόντες οἱ Ἠλεῖοι τῶν ἀθλητῶν ἐν Ὀλυμπίᾳ τοὺς στεφάνους* S].

Schol. Ven. ad illa Ar. Plut. 583 s. *εἰ γὰρ ἐπλοίτει (ὁ Ζεὺς), πῶς ἂν ποιῶν τὸν Ὀλυμπικὸν αὐτὸς ἀγῶνα — ἀνεκήρυττεν τῶν ἀσκητῶν τοὺς νικῶντας κοτίνῳ στεφάνῳ;*] *οὐ κοτίνῳ ἐστέφοντο ἀλλὰ τῷ τῆς καλλιστεφάνου ἐλαίας κλάδῳ. οὐκ ἀκριβῶς οὖν· καλλιστέφανος γὰρ ἡ ἐλαία λέγεται, τούτῳ δὲ ἥρμοττεν ἐκφαυλίζοντι λέγειν κοτίνῳ. καὶ Ἀριστοτέλης δὲ οὕτω φησὶ κατὰ λέξιν περὶ αὐτῆς. ἐν τῷ πανθείῳ — τοὺς στεφάνους.* — Schol. vetera in Theocr. id. 4, 12 *καὶ πόκα τῆνος ἔλαιον ἐν ὀφθαλμοῖσιν ὀπώπει;*] *καὶ πότε ἐκεῖνος ἔλαιον εἶδεν, ὃ κατὰ τὰ γυμνάσια ἀλείφονται; ἥκιστα γὰρ οἱ ἀγροῖκοι ἐλαίῳ χρῶνται. οἰχ ὥς τινες ἀναγινώσκουσιν ἐλαιόν, ὡς ἀραιόν, ἵν' ᾖ σημαῖνον τὸ ἀγριέλαιον, ἐξ οὗ ὁ Ὀλυμπιακὸς στέφανος σύγκειται, ἀγνοοῦσι δὲ ὅτι ὁ Ὀλυμπιακὸς στέφανος ἐκ τῆς καλλιστεφάνου ἐλαίας λεγομένης* [sic Ahrensius: *λεγόμενος* cod. Mediol., *γενόμενος* vulg.] *δίδοται, ἥτις ἀπέχει σταδίων ὀκτώ* (sic codices Ahrensii praeter P qui *ε'* et Gen.^{b} qui *η*), *ὡς φησιν Ἀριστοτέλης.* — Schol. codicis Vratislav. A in Pind. Ol. 3, 60: *ἵππων φυτεῦσαι*] *τὸ Πάνθειον* (*πάνθιον* codex) *ἐν ᾧ πεφύτευται ἡ ἐλαία, ἣν δρέπει ἀμφιθαλὴς παῖς χρυσῷ δρεπάνῳ, κλάδους ιζ' τέμνων ὅσα καὶ τὰ ἀγωνίσματα.* Eadem scholia in Ol. 8, 12 *ἀλλ' ὦ Πίσας εὔδενδρον*] *πρὸς αὐτὸ τὸ τῆς Πίσης ἄλσος διαλέγεται, ἢ πρὸς τὸ Πάνθειον ὅπου αἱ ἐλαῖαι φύονται, ἢ πρὸς τὸν τόπον ὅπου οἱ ἀνδριάντες τῶν νικησάντων ἀνάκεινται.*

Scholiorum igitur aristophaneorum et theocriteorum diorthotae ipsi profitentur sese Aristoteli videlicet huic personato debere panthei, ubi olea sacra consistat, nomen notitiamque; pindaricorum adnotationum auctorem siquis eadem aliunde deprompsisse diceret, certe neque a verbis scholiorum quicquam praesidii haberet neque reputaret haud facile illos Aristotelem fuisse antestaturos, si eiusdem rei et plures et antiquiores testes in promptu fuissent: ac profecto casu factum esse vix crediderim, ut cum et oleae sacrae et loci ubi constiterit multi meminerint, tamen nomen huius loci praeter Aristotelem eosque qui ab eo pendent nusquam praeterea lectum sit. itaque non sine idonea causa mihi videor pindaricorum quoque scholiorum testimonia ad eandem qua cetera proveniunt originem revocare. — librum hunc *Θαυμασίων ἀκουσμάτων* nunc quidem constat inter genuina Aristotelis scripta lectum esse altero ante Christum natum saeculo. carebat autem tum temporis ea parte, quae nunc codicis unius exemplo ad calcem primitivi operis edi solet, capitulis 152 e. q. ss.: in ceteris enim codicibus aut deest, aut expulit primitivi operis initium (cc. 1—32). quod supplementum totum aut pendet ab auctoribus saeculi post Christum n. secundi tertiive Philostrato, Pseudaristotele de mundo, Plutarcho de fluviis aut cum eis proxima rerum narratarum cognatione coniunctum

est. sed ne primitivum quidem opus ab id genus interpolationibus liberum esse homines docti nunc fere consentiunt, ex quo Heynius in adnotationibus supra laudatis capitulum de quo agimus 'totum interpolatum esse' dixit. cuius sententiae causam praeter eam quam ipse ei subscripsit, 'Pantheum fuisse Athenis, sed sub Hadriano factum', nullam invenio: nam quod praeterea insunt in capitulo illo quae secum ipsa videantur pugnare, ea res potius evertit Heynii opinionem quam fulcit. post Heynium clarius intellectum est, opus primitivum in duas maxime partes discedere: quarum altera (inde a c. 77) in conligendis earum regionum quae mediterraneo mari adiacent admirandis versatur, prior admiranda secundum genera composita exhibet, ut exempli causa bestiarum, lapidum metallorumque, fluviorum mirabilia deinceps exposita habeas; sed tamen ita ut ordo aliquotiens mire turbatus sit; velut vesaniae exempla c. 31. 32 inter murium et flammarum admiranda intercedunt, panthei autem qua de agimus historiola medium inter metalla occupat locum. non intellego, quo iure omnia ea, quibus severior ordo videatur turbari, ab interpolatore inserta esse dici possint, cum praesertim recentioris illius doctrinae, unde supplementi supra dicti auctor hortulos suos inrigavit, nulla in eis compareant vestigia, si ficticiam Hadrianei panthei memoriam detraxeris. quae cum ita sint, nec Valentino Rose adsentior cum Arist. pseudepigraphi p. 255 primam partem dixit pertinere usque ad c. 77, 'exceptis fortasse c. 51—60 quae alienam speciem habent ordinemque male hic intrusa turbare videntur', neque vero Müllenhoffio Heynii de interpolato c. 52 opinionem falsam confidentissime amplexanti Antiquitatum germanicarum t. I p. 426. quae omnia ideo disputavi ut appareat minime conclamatum esse de novicia capituli nostri origine. quodcontra si scholiorum aristophaneorum, theocriteorum, pindaricorum condicionem reputaveris — monuere autem de pindaricorum praestantia cum alii tum Lehrsius libri de scholiis pindar. p. 6 s. — parum dixeris probabilitatis habere, eorum auctores omnes ab interpolato post Hadrianum exemplo Pseudaristotelis pendere.

Sequitur ut quaeramus an scholiorum auctoribus meliores Pseudaristotelis codices praesto fuerint quam sunt ei quibus nos utimur. de hac quoque re a plerisque dissentio. ac primum quidem ea est nostris temporibus grammaticorum coniectandi procacitas, ut disertis verbis cavendum sit nequis ipsum *πάνθειον* vocabulum, quo de agimus, librariorum libidine effictum esse animum inducat: testimoniorum enim aes triplex loco pseudaristotelio circa pectus esse meminerit siquis eum attentare conetur. fuere autem qui conatu haud minus temerario *Ἴλισσὸν ποταμὸν* converterint in *Ἑλίσσονα*· quibus certe codicum Suidae aliquot lectiones *εἰλισσόν, ἐλισσόν* praesidio esse nemo sanus nunc dixerit: quid enim scribendi errores isti faciunt contra consensum codicum aristoteliorum omnium cum veneto scholiorum Aristophanis? ceterorum quibus illi nitebantur argumentorum vis ea est ut debilitari non possit nisi examinato totius narrationis tenore. ad hunc igitur video mihi nunc esse orationem convertendam.

Coronae victoribus olympicorun ludorum dabantur factae e ramis arboris sacrae quam alii oleastrum sive *κότινον*, alii oleam sive *ἐλαίαν* vocabant. haec arbor omni tempore *καλλι-*

στέφανος dicta est, consistebat autem Olympiae. testes sunt primarii — ut temporum ordinem sequar — Pindarus olympico carmine tertio, Theophrastus hist. plant. 4, 13, 2, Plinius hist. n. 16, 240, denique Hadriani aequales Pausanias 5, 15, 3 et Phlegon Olympiadon fragm. p. 148 Franzii (p. 207 Westerm.). alibi terrarum alteram extitisse oleam, quae eodem καλλιστεφάνου nomine clara clueret, nemo testificatur: quare cum noster principio narrationis καλλιστέφανον oleam viendis coronis destinatam ἐν πανθείῳ stare dixit, olympicam significasse videbitur. nec vana videatur esse ea opinio, cum praesertim in extrema narrationis parte idem de eadem his verbis disserat: περιφκοδόμηται δὲ καὶ ζημία μεγάλη τῷ θιγόντι ἐστίν. atenim eisdem paene verbis Phlegon usus est de arbore olympica. Iphitus enim oraculo monitus ut arborem quaereret coronis faciendis aptam παραγενόμενος, ait, εἰς Ὀλυμπίαν πολλῶν ἐν τῷ τεμένει κοτίνων ὄντων εὑρῶν ἕνα περιεχόμενον ἀραχνίοις, περιφκοδόμησεν αὐτὸν καὶ τοῖς νικῶσιν ἐξ αὐτοῦ ἐδόθη ὁ στέφανος. haec igitur arbor est ea de qua eodem tempore Pausanias sic disseruit: κατὰ δὲ τὸν ὀπισθόδομον μάλιστά ἐστιν ἐν δεξιᾷ πεφυκὼς κότινος, καλεῖται δὲ ἐλαία καλλιστέφανος καὶ τοῖς νικῶσι τὰ Ὀλύμπια καθέστηκεν ἀπ' αὐτῆς δίδοσθαι τοὺς στεφάνους. nulla igitur de loco, quo constiterit ἐλαία καλλιστέφανος, controversia erat. contra de origine eius duplex fama ferebatur: nam qui morem coronandi victores a principio olympicorum ludorum repetebant, ei conditorem eorum Herculem eundem arboris conditorem faciebant; qui ab instauratorum et ordinatorum ludorum tempore, Iphitum praedicabant arboris inventorem. atque inter illos quidem fuere qui Herculem oleastrum ab Hyperboraeis deportavisse Olympiam traderent: quorum sectam secutus est Pindarus. fuisse etiam qui Herculem surculum oleastri, quem Olympiae esset plantaturus, aliunde decerpsisse putarent, hoc ipso Pseudaristotelis loco comprobatur. sed duae apud eum sunt historiolae eaeque gemellae non tam contaminatae quam altera alteri quasi adglutinata. nam in prima narrationis parte Hercules surculum oleae Olympiae plantasse recisum ab ea olea, quae ἐν πανθείῳ esset quaeque καλλιστέφανος diceretur, et hanc quidem fuisse secundum Ilissum sexaginta a flumine stadiis diremptam; in altera parte Elei dicuntur surculum ab eadem hac olea recisum plantasse Olympiae. sed ne verbo quidem lector admonetur diversis haec vel auctoribus vel volgi rumoribus deberi: immo priori narrationi altera his verbis ἀπὸ ταύτης δὲ τὸ φυτὸν λαβόντες οἱ Ἠλεῖοι ἐφύτευσαν ἐν Ὀλυμπίᾳ καὶ e. q. ss. ita continuatur, quasi si non altera utra, verum utraque fide esset digna. legit quidem eadem verba sine dubio scholii aristophanei auctor, sed idem inter legendum rem sibi suspiciosam ut potuit sustulit in hunc modum corrigendo: ἀπὸ ταύτης ἕφερον λαβόντες οἱ Ἠλεῖοι τῶν ἀθλητῶν ἐν Ὀλυμπίᾳ τοὺς στεφάνους. priora reliquit intacta. Eleos igitur fecit coronas Olympiae victoribus ferre ab ea arbore quae Olympiae non erat. itaque errarunt, qui meliorem scholiastae codicem praesto fuisse coniecerunt. eodem modo et idem scholiasta et Theocriti glossator in corrigendis verbis Pseudaristatotelis eis versati sunt, quae antecedunt. is enim cum dixisset ab olea, quae esset ἐν πανθείῳ, Herculem decerpsisse τό φυτὸν quod

plantaret Olympiae in usum coronarum, haec verba addidit: *ἐστὶ δὲ αὕτη παρὰ τὸν Ἴλισσὸν ποταμὸν σταδίους ἑξήκοντα τοῦ ποταμοῦ ἀπέχουσα, περιῳκοδόμηται δὲ* e. q. ss. supra vidimus Hadriani tempore olympicam oleam dici *περιῳκοδομημένην*, videri igitur nostrum hanc ipsam verbis illis significare. quod si voluit, testatus est eum secundum Ilissum fluvium constitisse. Ilissum igitur aut prope Olympiam fluxisse, nimirum alterum quendam, cuius nemo meminit, aut coniectura tollendum esse consequi videtur. illud cum vix cuiquam placuerit, non mirum est quod hanc medendi viam quidam ingressi sint. fuere igitur qui freti insuper testimonio, ut supra vidimus, plane debili codicum quorundam Suidae (in quibus *εἰλισσὸν*, *ἑλισσὸν* legitur) *Ἑλισσόνα* sive *Ἐλισσόνα* restituerent. hoc nomen Hemsterhusius e Strabone 8, 3, 4 p. 338 infelicissima coniectura invexit: is enim *αὐτοῦ δέ που* — loquitur de Chelonata promunturio agrisque ei contiguis — *ὁ Ἐλισὼν ἢ Ἕλισα ῥεῖ ποταμὸς ἐν τῇ λεχθείσῃ μεθορίᾳ* — Elidis dicit coelae et Pisatidis. itaque quicumque eorum rivulorum, qui nunc quoque illam regionem perfluunt, hoc nomine dignus existimabitur (qua de re dubitari docet Bursianus t. II p. 274), Olympiae certe *ἱερὰ ἅλση* non lambebat. gravius etiam, immo prorsus foede lapsus est Dindorfius cum Pausaniam 2, 12, 2 ad partes vocavit *Ἐλισσόνα* nominantem scilicet Sicyonii litoris rivulum. quodsi ferendum sit Ilissi nomen, nil restat nisi ut Pseudaristotelis illud *ἐστὶ δὲ αὕτη* referamus quo secundum grammaticam referendum est, ad *ἐλαία* vocabulum principio orationis positum, non ad *φυτὸν* intermedium. revertitur igitur scriptor ad praedicandam matricem oleae olympicae. haec si recte disputavimus ratione certa effecimus, Pseudaristotelem non eorum vestigia legere qui Herculem olympicam arborem ab Hyperboraeis petisse narrabant, verum narrationem plane singularem auctoris incerti referre hanc: Herculem ex olea, quae fuerit prope Ilissum atticum, surculum decerpsisse eumque Olympiae plantasse; hanc oleam atticam superstitem esse eodemque et nomine claram et religione sanctam esse atque olympicam: *πάνθειον* autem dici locum ubi consistat. hanc narrationem integram transcripsit scholiasta Aristophanis, excerpserunt obiter lectam scholiastae Theocriti et ut mihi videtur etiam Pindari. et hi quidem proclivi errore, quod de attica testatus est Pseudaristoteles, de olympica dictum esse putabant. praeterea offendebat et Aristophanis interpretem et Theocriti, quod arbor *παρὰ τὸν Ἴλισσὸν ποταμὸν σταδίους ἑξήκοντα τοῦ ποταμοῦ ἀπέχουσα* consistere dicebatur: hoc est secundum flumen sexaginta ab eo stadiorum spatio dirempta. substituit igitur, quibus rei atrocitas leniri videretur, Aristophanis interpres illa *σταδίους ξ' τοῦ ἱεροῦ*, Theocriti *ἥτις ἀπέχει σταδίων ὀκτώ*, scilicet omisso ut fit vocabulo importuno rem confecisse sibi visus. atque illud quidem ne potest quidem dixisse Pseudaristoteles: quid est enim quod *ἐλαία καλλιστέφανος* in Pantheo ad Ilissum ab sacello, nimirum Panthei, distare dicitur? sed fraudi fuit interpreti quod de magno Iovis templo olympico cogitabat neque vero curabat Ilissum atticum. hoc nisi librariorum incuriae tribueris, ad eandem normam exegeris. hoc solum largior numerum stadiorum verum forte fortuna ab interprete Theocriti posse servatum esse. sed tamen hoc qui sumpserunt nec pondus testimoniorum videntur satis caute aestimasse

neque vero animadvertisse de mensura ista certam sententiam non posse ferri. ultra prodire non ausim: quamquam quod Herculis vestigia pagis suburbanis Athenarum et maxime quidem ei regioni, quae Ilisso superiori adiacent, impressa sunt quam plurima, fortasse ad aperiendam historiolae nostrae originem pertinere videbitur. praeterea duplicis arboris, quae eodem cognomine appellata sit, memoriam qui me dixerit ratione prorsus incredibili finxisse, eum iubeo exempli alterius eiusque gemelli meminisse. Romae enim *ficus ruminalis*, felicitatis pignus atque insigne, in comitio extabat saepta sive *περιφκοδομημένη* ut Olympiae olea *καλλιστέφανος*. at qui Romulum Remumque in Palatini montis radicibus lupae uberibus sive rumis alitos esse voluerunt, ruminalem effinxerunt ficum palatinam eamque miraculo postea migrasse in comitium.

Verbo tangam Pantheum antiochense: quod utrum romani ad exemplar factum sit an eo antiquius sit cum ne coniectura quidem probabili adsequi liceat, ad rem nostram diudicandam nihil omnino confert. cf. O. Müllerus Ant. antioch. 2, 6.

Paucis comprehendam quae de pantheis sacellis per graeci huius itineris opportunitatem intervias quaeritando comperisse mihi videor: primum, quod adhuc compertum erat nemini, nullum Athenis fuisse *πάνθειον* ab Hadriano imperatore aedificatum; alterum, quod Bursianum Geographiae t. II p. 294 suspicatum esse video, fuisse Athenis vel prope eam urbem nominis huius sacellum, non fuisse Olympiae; videri autem altero ante Christum natum saeculo esse antiquius, siquidem qui solus eius memoriam propagavit, primitivi *Θαυμασίων ἀκουσμάτων* libri auctor videatur esse, non recens aliquis eiusdem interpolator. neque aut insumptae in hanc quaestionem solvendam operae me piget aut subit animum dubitatio anne incassum mea omnia reciderint, quippe quae confirmentur viri et graece doctissimi et iudicii acie praestantissimi de vocabulo quod est *πάνθειον* ratiocinatione. Iacobus enim Bernays aureoli de dialogis Aristotelis libelli pp. 100. 165 s. cum id ageret ut Aristotelis quaedam verba ab auctore libri *περὶ ἀφθαρσίας κόσμου*, qui inter Philonis scripta fertur, servata dialogi illius de philosophia libro tertio vindicaret, hoc quoque quaesivit sitne aliquid in his verbis *τοσοῦτον ὁρατὸν θεὸν ἥλιον καὶ σελήνην καὶ τὸ ἄλλο τῶν πλανήτων καὶ ἀπλανῶν ὡς ἀληθῶς περιέχοντα πάνθειον* quod a sermone Aristotelis alienum videatur esse. sed quod solum aliquid dubitationis habere posset *πάνθειον* vocabulum, rectissimo ille iudicio ab ea suspicione liberavit. scilicet quod Romae aedificium illud et magnificentia operis et religionum dignitate insigne imperatoris Augusti aetate Pantheum publice vocatum esset, ea re sola satis cautum esse, ne quis vocabulum *πάνθειον* nimis recenti nota signatum esse crederet: praeterea analogiam similium vocabulorum *πανιώνιον, πανελλήνιον* auxilio esse; quare quod illius vocabuli in litteris graecis vestigia neque certa ante Hadrianum imperatorem neque omnino alia praeter Pseudaristotelis locum certae illum interpretationis impatientem inveniantur, ea minime obstare quo minus originem eius a temporibus Aristotele anterioribus repetamus. neque quicquam de huius disputationis summa deperit detracto nunc, quod reapse vocabuli graeci historiae paene nihil conferebat, pantheo Hadrianeo. hoc mireris in homine suptili atque suspicaci quod verborum

aristoteliorum proprietate pensitata non ultra terminos istos evagatus sit. an vero casu factum dixeris ut Aristoteles cum sole et luna copularit *τὸ ἄλλο τῶν πλανητῶν καὶ ἀπλάνων πάνθειον*, Cassius autem Dio loco s. s. pantheum romanum dixerit sibi videri nomen non inde habuisse, quod multorum deorum sedes sit, sed *ὅτι θολοειδὲς ὂν τῷ οὐρανῷ προσέοικεν*? quod veriloquium ut supra significavi sensu sententiaque plane destitutum est, nisi vocabuli ipsius notioni cum globo caelesti aliqua necessitudo intercedebat. quae necessitudo qualis fuerit cum neque *πάνθειον* illud atheniense aperiat neque alia supersint in litteris graecis exempla, primum videndum est an aperiat vocabuli ipsius compages similium comparatione inlustrata.

Latini igitur vocabuli archetypon graecum *πάνθεον* fuisse et olim volgus putabat et nunc opinantur homines docti inveterato et proclivi errore occaecati. nam primum *πάνθειον* sive quod idem est *πάνθιον* scriptum exhibent codices omnes Pseudaristotelis, scholiorum, Dionis, Pseudophilonis: *πάνθεον* bis terve in byzantinorum scriptorum libris inventum fertur. deinde in Orphicorum carminibus adiectivum *πάνθειος* legitur; veteris igitur vocabuli graeci *πάνθειος* luculenta extant testimonia, *πάνθεος* vel nulla vel paene nulla. iam porro latini vocabuli exempla praeter aedificii romani nomen complura extant: *pantheus* enim adiectivum pro cognomine est multorum deorum nominibus, de quibus infra dicetur. hoc adiectivum cum Sidonius Apollinaris epigrammati tricesimo extremo ita inseruit, ut paenultimam corriperet, dubitari potest an in mensura eius aliquid novaverit vel suopte consilio vel usum popularem qui tum fuerit secutus. nam ut vocabula graeca quae in *—ειος* mittunt complura antiquitus correpta paenultima in sermonem latinum recepta sunt (qua de re dixi Vindiciarum lat. serm. ant. p. 19), ita facile fieri potuit ut etiam in *πάνθειον* vocabulo diphthongus a Romanis corriperetur, cum praesertim falsum vocabuli veriloquium auxilio esset. sed utut est: dubitari nequit quin *pantheus* cognomen deorum et *pantheum* nomen aedificii ex eodem archetypo graeco expressa sint. hoc archetypon cum sit *πάνθειον* non *πάνθεον*, procul arcenda est *ἄθεος*, *ἔνθεος* adiectivorum analogia, arcendum etiam tanquam alienum nomen mensis quod Neapoli in usu fuit *πανθεών*: arcessenda autem eorum analogia nominum, quae *παν-* praefixo aucta partim substantivorum partim adiectivorum vice funguntur. atque illa quidem, ad quae Bernaysius digitum intendit, *πανελλήνιον παν-ιώνιον παναθήναιον* minus apta videntur esse quae nostro vocabulo conferantur: neque enim substantivi vice sola *πάνθειον*, *pantheum* funguntur, sed etiam adiectivi: contra vetera illa *παν-όλβιος*, *πάν-δροσος*, *παν-αίολος*, *πάν-δωρος* et propter compositionis et propter notionis similitudinem unice mihi apta videntur esse ad declarandam *πάνθειος* vocabuli originem. haec autem vocabula quorum suboles temporibus recentioribus quam maxime pullulavit, adiectivi primarii notionem praefixo *παν-* ita augent et quasi intendunt, ut simillima fiant latinis quae praepositione *prae* augentur quorumque suboles simili de causa latius latiusque serpsit: ita veteribus *prae-clarus prae-grandis prae-dives* mox alia multa subnata sunt habetque utraque propago aliquid similitudinis cum nostris adiectivis quae praefixis *hoch-* et *all-* aucta quasi augustiorem simplicis sensum reddunt. itaque *πάν-θειος* latine fecerim *prae-divus*, germanice vel *all-göttlich*

vel *hoch-göttlich*: et hoc quidem magis arriserit horum temporum delicatulis quibus praefixum hoc in deliciis esse solet. haec significatio et Orphicorum vocabulo πάνθειος optime convenit et Latinorum *pantheus* adiectivo, de quo cum breviter significaverim in adnotatione ad Prellerum vol. II p. 372 s. nunc video paulo explicatius disserendum esse.

Extant igitur tituli sacri *sancto Silvano Pantheo, Priapo Pantheo, Libero Pantheo* (CIL 6, 695 . 3,1139 . Or. 2113), quibus accedit Dionysus Pantheus a Sidonio memoratus: deinde *deo magno Pantheo, divio* (sic) *Pantheo* (CIL 5, 5798. 5523), *Pantheó Iuventí,* (5, 5099: hoc est *Iuventii,* ut Pantheus inter penates familiaresve deos Iuventii fuerit); denique commemorantur *signum Panthei* (CIL 2, 1473), *signum aereum Pantheum*, quod cum *dis deabus* dedicatum sit (ib. 6, 100), apparet fuisse Panthei numinis signum omnium deorum dearumque insigne. quare tabulam marmoream Arimini repertam longam m. 1,8 altam 0,24 hisque verbis inscriptam *Pantheum sacrum | L. Vicrius Cypaerus sex vir | et sex vir Augustalis* (v. Toninius Rim. p. 289, unde transcripsit Wilmanns Ex. 2125) titulum aediculae fuisse existimo in quo *pantheum* signum dedicatum fuerit. ex his titulis l. s. s. conclusi deum Pantheum generis masculini, non neutrius aliquod numen Pantheum, veneratione dignum esse visum. inter haec monumenta sunt quae ultimae imperii aetati vindicanda sint, velut illud *divio Panteo salvis Asteri(i)s* (CIL 5, 5523): sunt tamen quae primo alterive saeculo, velut quod accentibus insigne est CIL 5, 5099 et Ariminense. sed panthei cur dicti sint dei illi subobscurum esset, nisi extarent aliquot sigilla Fortunae, Veneris, Cupidinis, Minervae, Harpocratis aenea aurea argentea, aliorum deorum insignibus ornata, de quibus breviter dixit Otto Iahnius in Relationibus acad. Lips. a. 1855 p. 50 sq. accessit nuper opus simile his sed magnitudine et materie — est enim marmoreum — singulare, Panis signum, cuius corpori nudo impressae sunt Iovis Iunonis Dianae Mercurii tanquam personae. hoc autem artificio Panem significari quasi mundi rectorem divinis illis viribus praeditum, rectissime exposuit editor operis Baumannus libri qui ad celebrandum philologorum germanorum conventum karoliruhensem hoc a. 1882 editus est p. 19 s. itaque *panthei* sive πάνθειοι, non πάνθεοι, appellantur dei, qui viribus certorum deorum, non omnium aut multorum, aucti elatique singulorum deorum numen potentiamque natura ut ita dicam praediva superare viderentur. hoc igitur sequebantur homines antiqui, ut mundi quasi medullam seorsum a religionibus popularibus intima quadam veneratione colerent. sed mundi pars ea, quae ceteris claritate ac paene dixerim aeternitatis specie praestat, caeli est ingens templum sidcribus distinctum. iam licet antiquissimis temporibus neque Graeci neque Romani aut caelum aut sidera inter deos habuerint, nisi quod eis sideribus qui cottidianam vitam meatu suo tanquam propitio numine regere viderentur, deorum nomina et cultum quadamtenus attribuerunt, tamen procedente tempore, dum de caeli mundique origine partibus materia altius quaerunt, deorum naturam per globum caelestem latius sparserunt. quae quidem numinis divini imaginatio postquam diu in umbra scholarum philosopharum se continuit, paulatim audacius processit in lucem religionum tam popularium quam

publicarum. ita factum est ut circa Augusti imperatoris tempora et *Caelus* deus nimirum novicius in veterum deorum coetum receptus sit et Iovi, qui inter deos deasque optimus fuerat et maximus et magni olim cognomine quippe ceteris maior dictitabatur, nova acquisiverit nomina *Aeternus* et *Sempiternus* — cuius quidem exemplum primum inventum est in kalendarii Cumani imperante Augusto incisi fragmento novo — haud illa a *Pantheus* cognomine notione diversa. ita explicatur unde hoc ipsum vocabulum, quod nil continet nisi divinitatis summam quandam natura deorum singulorum sublimiorem, prope afuerit a notione naturae caelestis. sed hanc notionem quo minus quis aut ipsum Agrippam aut illius temporis homines primos graeco vocabulo attribuisse credat, obstant et ipsa origo graeca et vestigium quamvis evanidum impressum verbis Aristotelis illis, de quibus Bernaysium acute existimasse supra vidimus: nempe cum systema siderum vocatur *τὸ πάνθειον τῶν πλανήτων καὶ ἀπλανήτων*, apparet praedivum sive caeleste siderum concilium quasi deorum argutius significari. ita demum intellegetur quid sit quod Cassius Dio pantheum Marci Agrippae a similitudine caeli nomen traxisse iudicaverit. sed quae potissimum causa fuerit Agrippae ut exemplo Romae certe tum temporis inaudito ingens templum Panthei religionibus dicaret, litterarum memoria haud obscure significavit.

Imperator Augustus dum inter vivos esset in urbe Roma divinos honores sibi haberi noluit, extra urbem lubenti animo passus est haberi. neque vero defuere in urbe qui caelicolas ipsos eum sibi deposcere quasi suo iure dicerent, quippe filium Caesaris dictatoris; qui licet senatus consulto populique iussu inter divos receptus esset, tamen quin caeli ipsius nutu eius honoris particeps factus esset, eo minus dubitabatur, quod stellae crinitae, quae mortem eius orbi terrarum portenderat, insigne capiti eius adfixum erat. itaque quod multorum illo tempore per ora volitabat carmine comprehendit ante conditum Pantheum Vergilius Georgicon I 503: *iam pridem nobis te caeli regia Caesar invidet.* nec defuere qui hoc certe ab imperatore impetrari posse dicerent ut sese in templa deorum quasi *σύνναον* recipi pateretur, id quod pater ultro sibi flagitasset. verum ille hoc quoque aspernari. itaque cum Marcus Agrippa cum thermis nominis sui templum Panthei aedificaret, statuam imperatoris cum statuis deorum ei inferre constituit. quod cum ille rursus recusaret, ianitoris ei munus sane modestum iniunxit idque secum ipse communicavit. atqui pronaos templi, cuius epistylio Agrippae titulus incisus est, structurae genere ab ipso templo ita est diiunctus, ut homines artis periti Agrippam mutato inter aedificandum consilio eum templo iam tum perfecto praetexuisse censeant: causa quaenam illi fuerit haesitandi non aeque videtur ab eisdem esse intellecta. neque vero dubito quin adiectus sit pronaus eo consilio ut legi ab imperatore dictae fraus fieret ipso haud invito. ita enim statuae Augusti et Agrippae sub tecto dicari potuere eoque amplissimo. sed deorum numerum qui templo inferendi essent Cassius Dio non definivit: hoc praeter ambages mihi videtur significare primores fuisse inter eos Martem et Venerem; etiam divum lulium esse inlatum. nihil igitur agunt qui, quasi si res esset omni du-

bitationi exempta, huic primariam sedem attribuunt, aediculam eam quae portae ingenti e regione est, nimirum ceteris splendidiorem. ego vero in ea aedicula non unum aliquem deum verum coniuncta Martis et Veneris simulacra constitisse conicio. quod exemplum ipse Augustus interiectis quinque lustris in aede Martis Ultoris imitatus est. est ea aedicula una de septem maioribus, quibus cella rotunda circumdata est: sed praeterea minores octo illis intermediae adsunt, quas vacuas fuisse simulacris nemo sanus contenderit. iam siquis detractis eis aediculis, quae Marti et Veneri atque divo Iulio tribuendae sunt, ceteras numero tredecim animi causa suis numinibus reddiderit, eum ludere patiamur: nobis longe gravissimum videtur esse totius templi rationem explicare. in quo negotio unum invenio Mommsenum feliciter versatum esse. is enim die 8. m. Ian. a. 1867 in consessu societatis archaeologicae Berolinensis postquam Adlerus ea fere de structura templi exposuit, quae a. 1872 publici iuris fecit, significavit se suspicari — et memini me verba eius audire de quibus in actis illius societatis a. 1867 p. 54 relatum est — septenarium numerum aedicularum maiorum a planetarum numero esse repetendum. inrisit hanc opinionem Nissenus Templi p. 224: scilicet ignorasse Mommsenum, quod pueris notum est, divum Iulium planetarum numero adscriptum non esse. at ille unde rescierit in una de maioribus septem aediculis divum Iulium constitisse equidem ignoro. cetera quae idem vir doctus commentus est, Iovem aediculam maximam tenuisse, ceteras Iunonem Minervam Martem Venerem divum Iulium Romam, eorum partem cur improbem dixi, cetera refelli non possunt quippe nullis firmata argumentis praeter caeli descriptionem e Marciano depromptam. neque vero opinioni Mommsenii ego adstipulor: hoc dico ceteris omnibus eum acutiorem sese praestisisse ut qui Cassii Dionis sententiam calculo suo comprobaverit, caeli simulitudinem aedificio nomen dedisse dicentis. sed videamus an probabiliora statuere datum sit.

Dedicavit Agrippa pronaum Panthei a. 727: paucis annis post Horatius illa cecinit *micat inter omnis Iulium sidus velut inter ignis Luna minores,* Vergilius illa *hic Caesar et omnis Iuli progenies magnum caeli ventura sub axem.* spirant haec carmina venerationem gentis Iuliae iamiam caelum intraturae: atqui sacra huic genti facta esse ante Neronem, cuius anno paenultimo primum *ara gentis Iuliae* memoratur, non constat. quid igitur? anne illa scribi potuisse dixeris nulla eius templi ratione habita, quod caeli figuram imitaretur, in quo Marti Venerique, Iuliorum dis parentibus, sedes praecipua parata esset? credat Iudaeus Apella; non ego. quare cum Iuliorum stirpe caelicolis inserta futurum esset ut non solum in terra novus saeclorum nasceretur ordo, verum etiam in caelo, Agrippam existimo hanc ipsam mundi redivivi religionem graeco vocabulo *πάνθειον* significasse: ita templum dictum praedivum sive caeeste. veteri Iovi an eo in templo locus fuerit, admodum dubito: novum illum Aeternum sive Sempiternum putaverim ipsius globi figura contentum fuisse. praeterea cum caeli imago in vertice perforata esset, *πανόπτης* ille de vero caelo introspiciebat ficticium quique in templo mansitabant suspiciebant Aeternum ut nunc suspiciunt, sive serena luce agitaret sive nubila offunderet pluviusve fieret. et hos ego fines excedere nolo: neque enim hominum peritorum

iudiciis antevertere lubet, quorum labore frugifero in dies magis aedificii unici historia atque structura inlustratur.

II DE TITVLO OSCO AEDIS APOLLINIS POMPEIANAE

Apollinis nomen Pompeiis pavimento eius aedis, quae forum ab occidente praetexit, osce inscriptum Augusto Mau apparuisse, relationes Instituti romani per otium feriarum autumnalium cum hominibus doctis communicarunt. e quorum numero quis fuerit quin 'o mihi nuntii beati' exclamaverit, scilicet opinationibus de domino templi illius tot tamque diversis felici fortuna nocti perpetuae oblivionique traditis. quamquam bonane Fortuna inventori numine propitio adstiterit an bona dea Oculata, nempe homini optime oculato, non diiudico: favit certe huic mireque profuit saluti nostrorum studiorum sive deus sive dea. sed ego postquam de re nova gratissimo cum Mauio epistularum commercio accuratius edoctus sum, neque ipsi quicquam damni inlaturus neque omnino nihil acturus esse mihi videbar, si grammatici partibus, a quibus ille se alienum esse professus esset, susceptis ad perpendenda monumenti primarii verba singula accederem.

In media igitur eius quod dixi templi cella pavimentum extat paulo splendidius factum, quod margine suo ab ambienti pavimento seclusum est. in huius marginis parte antica Mauio litterae oscae apparuere non solito incisae artificio verum punctis ita effictae ut septena altitudinem singulorum elementorum aequent, quaterna latitudinem. ea puncta antiquo tempore colore aliquo videntur tincta fuisse: is postquam detritu longo periit, ingruente insuper immunditie vestigia scripturae gracillimae ita evanuerunt, ut longo demum labore curisque iteratis tam Mauii quam amici eius peritissimi Sogliano praeter particulas quasdam, quae funditus deletae sunt, tituli verba potuerint recuperari. qua de re quae Mauius in relationum quas dixi Instituti fasciculis huius anni mensibus Augusto Septembri Octobri editis exposuit, ea brevitatis causa numeris suis (1, 2, 3) significavi. haec igitur sunt verba tituli: *O Kamp[anìs. O kva] isstur. kùmbenni[e]ì[s. tanginud.] Appelluneìs. eìtiuv[ad.* pavimentum. *[ùpsannu. aaman [aff] ed.* supplementa sunt Mauii eaque certa omnia praeter id quod exempli causa inserui 'pavimentum', quo de infra dicetur, praeterque nomina quaestoris patrisque, quod rursus exempli causa inserui, praenomen. certiora de his statuere non audeo nam cum Mauius identidem (2. 3) decem elementa evanida inter *kamp* et *isstur* vocabula indicaverit, incerti haeremus an interpunctionis signa duo, quae eadem lacuna absumpta esse dixeris, hoc numero comprehenderit necne: si comprehendit, litteras octo restituere licet, hoc est numerum uno minorem eo quem restituimus, nedum patris nomen nota duarum litterarum, ut visum est Mauio (2), possit esse perscriptum. eadem dubitatio pertinet ad lacunas ceteras: nam in ea quae sequitur post dimidiatam litteram *i* — sola enim hasta superest — vocabuli *kùmbenni[e]ì[s]* rursus dena elementa deesse videmus (3); at punctis si secundum regulam ibi quoque vocabula distincta erant, undecim elementorum spatium requiritur; contra trium elementorum spatium ultimo loco

significatum est, ubi tria re vera desiderantur. vertit Mauius: *O. Campanius . . f. quaestor conventus decreto Apollinis pecunia . . . . operandum locavit,* quae in universum utpote in verbis abunde notis recte se habere non mirum est. sunt tamen in his quae amplius quaerendi necessitatem nobis imponant.

Magistratus oppidorum oscorum, ut hoc nomine osce locutas gentes comprehendam, siquid publice aedificandum curavere, variis usi sunt loquendi formulis, quas infra per genera sua digestas adscripsi (numeri sunt syllogae Zwetajeffii)

7 magistratus incertus Larini:	*amanafed esi[dum] profated*
64 meddix tuticus Pompeiis:	*aamanaffed ìsìdu prùfatted*
66 quaestor Pompeiis.	*eìtiuvad mùltasìkad kùmbennieìs tangi(nud) aamanaffed*
71 quaestor Pompeiis:	*kù]mparakineìs [ta]ngin(ud) aamanaffed*
69 meddix tuticus Pompeiis:	*aamanaffed*
18 incertus Boviani:	*ups[annam de]ded esìdum prùfatted*
19 meddix tuticus Boviani:	*ùp]sannam deded ìnìm prùfatted*
63 quaestor Pompeiis:	*kúmbennieìs tanginud ùpsannam deded ìsìdum prùfatted*
65 meddix tuticus Pompeiis:	*ùpsann(na) dedet ìsìdu prùfatted*
70 quaestor Pompeiis:	*[kúmbennieìs t]anginud [upsann]u deded . . . (?) ekhad . . . [prùfa]tted*

his exemplis oscis addo simile quoddam tituli paeligni a Dresselio editi in actis mens. Instituti a. 1877 p. 177

magistratus sive magistri incerti:	*upsaseter coisatens*

nova est igitur loquendi formula illa tituli nostri

quaestor Pompeiis:	*kúmbenni[eìs tanginud . . .] [ùps]annu aaman[aff]ed*

Videamus quo modo magistratus publici populi romani municipiorumque vel coloniarum aut magistri pagorum, quibus publice aedificandi ius competit, latine de eisdem rebus locuti sint. quarum locutionum ea tantum adhibui exempla, quae intra fines temporum liberae rei publicae continentur eaque, ubi numero complura sunt, omissis quae facili opera invenias testimoniis composui: praeterea non adscripsi pecuniae genus, sive ea publica esset sacrave sive a privatis in usum publicum conlata. hoc enim agimus ut quibus verbis de usu eius magistratus publice testati sint palam faciamus. itaque

Romae vel in municipiis coloniisve magistratus vel publici p. r. vel municipales exemplis compluribus:	*de s. s.* (*ex s. c.*) vel *ex d. d.* opera publica *faciunda* (vel e. c. *viam sternendam, intergendam* alia) *coeraverunt eidemque probaverunt*

singulare est quod quattuorviri Spoletii CIL 1, 1407:	*pontem faciu(ndum) cur(arunt) probaruntq(ue)*
raris exemplis, inter quae urbanum nullum invenio, magistratus (Tegiani 1, 1257 Tuderte 1408 Fundis 1188 Pompeis 1247. 1251):	opera publica *faciunda (reficiunda) locaverunt eidemque* (vel alii, qua de re infra dicetur) *probarunt*
contra omisso probandi vocabulo (etiam in eis titulis quos integros esse certissimum est) magistratus (urbana exempla rursus desidero):	opera publica *facienda coeravere*
exempli causa magistri Campani (CIL 1, 566. 568. 569):	*Cereris murum* (alia) *faciundum coiravere*
at eidem singulariter locuti sunt (ib. 565) ita:	*Venerus Ioviae muru(m) aedificandum coiraverunt*
rursus non minus singulariter aediles Praenestini titulo a Dessauio edito (Bull. dell' ist. 1881 p. 206 ss.):	*aerarium faciendum dedere.*

Atque ut in latinis paulisper subsistam: fluctuasse loquendi formulas in municipiis coloniisque, dum res publica romana urbanum morem ad constantem severamque regulam revocaret, non minus ex hoc verborum quae ad ius pertinent usu, quam ex cetera scribendi dicendive consuetudine cognoscitur: cuius exemplum in paucis splendidum et his quoque quas nunc instituimus quaestionibus dilucidandis aptum lex est lucaris spoletina. itaque quod semel *aedificare* magistri Campani contra regulam ab ipsis alibi observatam, quod Praenestini *dare faciendum* more non romano, verum ut exempla osca edocent italico dixere, non mirum est neque ullam suppeditat in qua haesitaveris materiam. hoc quoque iam ultro cuivis apparebit, probandi vocabulum aliquotiens esse omissum cum ipsum negotium omitti non potuerit. quod inculcare lectori supersederem, nisi peritum hominem, Dessauium, praenestini tituli verba (l. s. s. p. 208 adn. 1) viderem eo detorsisse, ut aerarium tum temporis, cum ille muro incideretur, nec perfectum nec probatum fuisse coiceret. nimirum quicumque magistratus de senatus decurionumve decreto, quicumque magistri de scitu pagi pecunia sive publica sive sacra sive a privatis conlata opera publica aedesve sacras facturi erant, ei omnes redemptoribus ea locabant, facta probabant aut ipsi aut qui publico consilio ad perpetrandum hoc negotium delecti essent: et extant huius moris exempla latina CIL 1, 1188 . 1280, fortasse etiam paelignum, ad quod infra redeundum est. nec putaverim cuiquam fore dubium quin omne opus quod redemptori locatum esset, dedicari, hoc est publico sacrove usui tradi non potuisse, nisi antea esset probatum. quare ut omissum paene ubique proprium locandi vocabulum non probat opus ullum non esse a redemptore factum, ita omissum probationis saepissime testimonium non probat dedicatum esse opus ullum antequam esset probatum. nego etiam magistratum ullum magistrumve aedificio publico sacrove titulum dedicationis prius incidendum curavisse quam probasset opus. certe contrarium non probat Augusti imperatoris festinatio, qui imperfecta dedicaverit opera nempe titulis suis inscripta basilicam Iuliam et forum Martis.

Redeo eo unde non sine causa digressus sum, ad oscorum titulorum formulas. hos titulos omnes ea aetate incisos esse, qua rei publicae romanae leges institutaque dudum popu-

lorum osce loquentium notitiae aliquo modo insinuata erant, si posset dubitari, omnis profecto dubitatio hac ipsa loquendi similitudine tolleretur. an vero quicquam interest inter sollemne illud Oscorum *ùpsannam deded ìsìdum prùfatted* et Praenestinorum *faciendum dederunt* quibus *eidem probaverunt* addere aliorum exemplo omisere? quid quod minorum quoque discrepantiarum exempla utrobique gemella extant, veluti Spoletini dixere *faciundum curarunt probaruntque* omisso contra regulum *eidem,* item Bovianenses *ùpsannam deded ìnìm prùfatted,* non *ìsìdum.* quodsi antehac sat certum visum est etiam illa *aamanaffed ìsìdu prùfatted* et illa *ùspsannam deded ìsèdu prùfatted* verbis, non sensu differre, tamen nostri demum tituli verbis *ùpsannu aaman*[*aff*]*ed* verbi *aamanaum* significatus intra artiores fines cohibetur. nam cum id verbum, quo latine proprium magistratus in locando opere negotium denotatur, *curare,* quodque *coisaum* Paelignis fuisse videmus, in oscis exemplis nusquam inveniatur, cum tamen ius potestatemque curandi Oscorum magistratibus non magis defuisse appareat quam probandi, quod *prùffaum* dicebant, iusta equidem ratiocinatione videor mihi effecisse *aamanaum* Oscis idem valere quod Latinis *curare,* non quod *locare,* idque eo confirmatur quod in titulo Pompeiano osco aedificii rotundi, quod in triangulari platea extat, (69 Zwet.) legimus *Ni. Trebiis Tr. med tùv* | *aamanaffed.* quo titulo integro cum magistratus quamvis brevitatis studiosus fuerit, tamen perfecti dedicative testimonium sine dubio ediderit, non potest locationis meminisse scilicet susceptae curae, non perfectae. itaque ut Latini raro, in urbe numquam quod sciamus locationis mentionem operi inscripserunt, ita Osci quoque eam faciundi sive operandi cura semper comprehensam voluerunt. *locare* igitur osce quo modo sonuerit nescimus: nam in titulo Capuano graeca litteratura perscripto (143 Zwet.), si λιοκαζειτ vocabulum latine *locavit* reddendum sit — sed infra de eo dicendum est — certe conlocandi sententiam habeat oportet. extra Oscorum fines propiusque a Latio ut *coisatens,* Latinorum *curarunt,* reperimus, ita *locare* vocabulum videtur extare in titulo paeligno, quo de proximi prooemii p. 6 exposui. rectius autem quam ibi factum est nunc mihi videor eum supplere sic . . . *medix aticus* | *biam locatin*[*s*], | *P. Sadries T. V. Popidis T.* | [*prufattins*]. hoc enim nunc video largiendum esse *locatin*[*s*] — si tamen integrum sit primum vocabuli elementum — significare *locaverunt*: quod contra *biam* vocabulum nunc quoque incertae interpretationis esse contendo neque patior idem obtrudi umbrico Cuprae matris titulo quippe ab eo prorsus alienum.[1])

1) Non repetam quae l. s. s. disputavi: verbo tangam et quidem coactus quae nuper Büchelerus rhenani musei XXXVII p. 516 mihi obiecit primum — nam hoc quoque ad me pertinere videtur, — lexico italico ab eo edito mihi, cui in manibus sit, fuisse utendum, deinde eloquenter me — ita enim ait — impugnasse verbum aliquod quo ipse non usus sit. atque illud quidem ad me pertinere nego: mihi enim res fuit cum eis verbis Bücheleri quae in Instituti relationibus a. 1877 p. 236 impressa leguntur: 'nam inscriptio umbrica . . . habet *cubrar matrer bio eso* = *Cuprae matris* quam novimus deam esse *bia haec* factamque cisternam addit' — nempe inscriptio — 'a duobus maronibus sive magistratibus'. de his autem ita rettuleram l. s. s p. 5 s.: 'ac Büchelerus quidem . . . dicentem fecit titulum h a n c *bia* — sive id 'suggestum sit' sive 'res statuta' — factum esse ab illis

Curandi igitur, non locandi notionem *aamanaum* verbo subesse certum est. non longe igitur a vero afuere, qui *faciendum curare* latinum contulere: quam longe aberraverint alii nil attinet enarrare. at veriloquium vocabuli qui aperiret nemo adhuc inventus est: eorum certe, quorum conatus cornu copiae Fabrettii effudit. nam quod non ab omni quidem specie probabilitatis nimium quantum secedit, mandandi amandandive vocabulum oscum esse *amanaum*, ne hoc quidem ego pro comperto habuerim. nequid dicam de forma vocabuli osci, quod primitus certe *ammannaum* sonare debuit, ne significatum quidem mandandi demandandive, ut Latini loquebantur prorsus concinere cum curae significatu dixerim.

Quid quaestor Pompeianus faciendum curaverit, coniectura certa adsequimur: fuit ipsum cuius margini titulus est inscriptus pavimentum cellae. neque vero inauditum est in aedificiis sacris publicisve partem aliquam seorsum factam a magistratibus pecunia undecumque in hanc potissimum rem attributa. testis est isque quam maxime ideoneus titulus Tarracinae pavimento aedificii incerti insertus CIL 1, 576 [*Ser. Sulpic*]*ius Ser. f. Galba cos. pavimentum* [*faciendum curavi*]*t eisdemque probavit.* testes sunt columnae tam in Graecia quam in Italia templis deorum dono datae eorumque qui dederunt nominibus inscriptae, velut columna nuper Pergami in Minervio reperta atque Berolinum translata, in cuius scapo haec leguntur *κίονα?*] *τόνδε ἀνέθ*[*ηκεν*] *Ἀρτέμωνος παῖς* | *σοὶ Τριτογένεια θεά* (v. Conzius in dissert. acad. Berol. a. 1881 p. 4. 9. 11 et in relatione praevia a. 1882 p. 33), columnae a Croeso rege Dianae Ephesiae dono datae teste Herodoto 1,92, quarum de titulis frustula quaedam creduntur superesse (v. Röhlius IGA 493 cum Add.); columnae cum crepidine in Feroniae templo trebulano dedicatae (CIL 1, 1307). denique nescio an huc pertineat titulus columnae, quae Romae extat in ecclesia s. Mariae in Araceli, inscriptus *a cubiculo Augustorum* (CIL 6,8765). vix crediderim posse dubitari, quin antiquo tempore haec verba incisa sint steteritque columna sic inscripta in aedificio antiquo, unde octavo circiter saeculo in ecclesiam translata sit. verum quid significet titulus certa ratione efficere nondum contigit (v. quae dixi Top. t. I, 2 p. 114). *pavimentum* quo vocabulo Osci significaverint ignoramus: mirum est quod elementorum latini vocabuli numerus paene ad amussim conveniat lacunae spatio, quod Mauius indicavit, si addideris quattuor elementa, quibus imperfecto vocabulo praecedens atque subsequens complenda sunt, ut paene suspicere latinum ab Oscis usurpatum esse.

Faciendum curavit praetor Pompeianus pavimentum illud *Appellineis eitiuva*[*d*], *Apol-*

---

magistratibus a d d i t a m q u e cisternam'. hoc igitur *additamque* dicit me ei supposuisse: scilicet hoc agitur utrumne *bio* et *cisterno* pro substantivis duobus habenda sint an pro adiectivo et substantivo: illud negaverat Büchelerus, hoc cur unice probarem argumentis demonstravi. additum autem alterum alteri esse scripserat Büchelerus, eoque ipso ego usus sum vocabulo. quodsi ille titulum ipsum fecit addentem illud *cisterno*, nunc quoque non perspicio quae sit huius additionis ratio, nisi reapse ad magistratus ea pertineat. sententiam autem, non verba disputationis büchelerianae impugnabam. id quod lectores musei illius, qui meo opusculo carent, non possunt e verbis Bücheleri efficere.

linis pecunia. felici fortuna alia exempla aedificiorum sacra pecunia factorum servata sunt in eisque simillimum aliquod campanum. notum est Corae aedem Castoris et Pollucis totum de senati sententia a duoviris *pequnia sacr*a factam (CIL 1, 1150. 1151); sed qui magis ad rem nostram facit titulus Tifatinus dimidiatus hic (ib. 569): * * *M. Antonio A. Postumio cos* (a. 655 cf. Ritsch. tab. LXIIID). | *heisce mag(istreis) murum ab gradu ad calcid(icum) et calcidicum et* | *portic(um) ante culin(am) long(am) p(edes)* * * | *et signa marmor(ea) Cast(oris) et Pol(lucis) et loc(um) privat(um) de stipe Dian(ae)* | *emendum* * * * * *endum* | *coeraver(e).* iniquum est quod in hoc quoque titulo diiudicando Garuccii fides in causa est: nam cum ectypo a Ritschelio publicato de litteris quae paenultimo versiculo perierint nihil constet, legerint autem *iendum* Danel, *endum* Mommsenus: nunc Garruccius Syllogae 929 *ciendum* elementa in lapide extare testis est. quod si est, aliorum supplementa *col]endum*, *cing]endum*, *clud]endum* spernenda sunt prae Mommseni invento *fa]ciendum.* contra quod 'gradum' Graecorum *βῆμα* esse suspicatur quodque sollemnem formulam *faciendum coeravere* inepte adiunctam esse dicit, minime probo. in lapide est GRAD | ⅂AD et ita quidem ut V sequentium versuum initia excedat. itaque quadratarium puto quod scriptum invenerat *a grad. ad calcidic.,* hoc est *a grad(ibus) ad calcidic(um)*, male interpretatum esse. adparet autem ad aream templi alicuius in qua calcidicum et culina extarent gradibus aditum patuisse, eaque omnia aedificata esse a magistris nimirum pecunia in eam rem pagi scitu attributa; at *de stipe Dianae* emptum esse locum privatum nimirum ad ampliandum sacri territorii ambitum. sane igitur debebant sic testari magistri *murum* e. q. s. *et signa marmorea Castoris et Pollucis faciendum* (vel *facienda*) *coeravere, item locum privatum de stipe Dianae emendum coeravere* vel *emerunt.* quod posuere, ut re est verum, ita ne contra syntaxeos quidem leges prorsus peccat, nedum inepte dictum esse videatur. iam quoniam in radice Tifatini montis muro veteri insertus hic titulus extitit, Dianae autem de stipe locus privatus emptus sit, apparet omnia illa aedificia iuris fuisse Dianae tifatinae, quam deam imperitasse ibi in regione amplissima ipsi sacra nostri maxime temporis investigationes abunde docuerunt (v. quae composui ad Prelleri mythol. romanamt I,317 adn. 4).

Itaque sacra Apollinis pecunia sive de stipe Apollinis quaestor Pompeianus pavimentum illud in cella aedis foro adiacentis faciendum curavit curavitque ex conventus decreto. plane eodem modo rem egit alius eiusdem oppidi quaestor, cuius titulus ad curiam quae volgo dicitur Isiacam pertinet (63 Zwet.): *V. Aadirans V. eìtiuvam paam vereiaìì Pompaiianaî tristamentud deded, eìsak eìtiuvad Viìnikùs Mr. kvaìsstur Pùmpaiians trìibum ekak kumbennieìs tanginud upsannam deded ïsìdum prùfatted;* i. e. Vinicius praetor ea pecunia quam Adiranus conlegio nescio cui (iuventutem vulgo heredes factos esse volunt) testamento reliquit, ea pecunia ex conventus decreto hoc ipsum ubi titulus inventus est aedificium, nimirum in conlegii illius usum commodumque, extruendum curavit idemque probavit; eodem rursus modo tertius ibidem horologium publice dedicavit (66 Zwet.): *Mr. Atiniìs Mr. kvaìsstur eìtiuvad multasìkad* | *Kùmbennieìs tanginud aamanaffed.* nihil enim refert sacrane an privata pecunia magistratus in usum

publicum sacrumve publico consilio utatur an denique multaticia quum Osci vocabulo eodem paulo diversa ratione inflexo multasiciam dixere. his tribus vocabuli *eitiuva* exemplis, quibus praeter controversiam pecuniae notio ei vindicatur, accedunt quinque Bantinae legis congrua illa quidem sensu verum forma disparilia: *minstreis aetis eituas* (13. 18. 27), minoris partis pecuniae, *censamur esuf in cituam* (19), censetor ipse (ut Büchelero visum est) et pecuniam, *dat castrid lov* (*frud*) *in eituas*, de fundo libero et pecuniae. in quibus omnibus incidendis cum non possit lapsus esse quadratarius, duplicem tenemus formam stirpis, alteram Pompeianam *eitiuv – a*, alteram Bantinam *eit-u – a*. mirum profecto esset si tertia alicubi inter Oscos inventa esset. atenim titulus qui Aufidena videtur oriundus esse sic a Mommseno Dial. p. 171 (unde pendet Fabr. 2877) exceptus est *Kp. De. Pk. sùvad | eìtiv. upsed.* in ectypo a Zwetajeffio publicato t. II 2 non *eitiv* sed *eitie* comparet, idque etiam transcripsit syllogae n. 11 monuitque quadratarium errasse 𐌄 pro 𐌃 incidendo. cuius hominis peritiae cum non nimis confidam — neque vero temere me ei diffidere facile concesserit qui ea perlegere dignatus sit quae in Bezzenbergeri ephemeride quae inscribitur *Beiträge zur Kunde der indogermanischen Sprachen* a. 1881 p. 195 ss. exposui — mense Septembri huius anni Mauium consului tum temporis Neapoli commorantem: is autem mihi rescripsit, lapidem passim esse laesionibus male habitum; ut difficile dictu sit an quod *e* litterae hasta media possit videri, potius rima sit quam casu egerit lapis; si sit hasta media, tamen mirum esse, quod ea in hoc potissimum elemento breviuscula sit, at in ceteris eiusdem elementi exemplis trabecularum superioris inferiorisque longitudinem aequet. quae cum ita sint, iam confidenter pronuntio, non quadratarium peccasse verum peccasse legendo Zwetajeffium novumque hoc esse documentum quantum Mommsenii lectiones praestent zwetajeffianis. iam quoniam substantivi ablativus in *d* mittens utique requiritur, apparet *eitiv*. breviatum esse singulari artificio ex *eitivad*, sonuisse autem nominativum Aufidenatibus *eitiv-a*. en habes nominativum huius vocabuli triplici modo deflexum *eitiuv-a*, *eitiv-a*, *eitu-a*. harum formarum duo sunt genera: alterum earum in quibus ad vocabuli stirpem nudam, quae est *eit-*, finalis *-va* accessit, cuius semivocalis in vocalem versa est, alterum earum in quibus et stirps vocabuli aucta est vocali *i*, et eadem illa finalis vocali longa vel *u* vel *i*, ut *eit-i-ūva*, *eit-i-īva*, *eit-īva* facta sint. atque stirpis quidem augmentum illud dentali antecedenti deberi agnoverunt Bruppacherus Sonorum doctrinae p. 37 Savelsbergius in ephemeride Kuhnii t. XXI p. 119 Zeyssius in Studiis Curtii t. VII p. 170 s. de finali minus recte siquid video adhuc iudicatum est. nam Aufrechtius Kirchhoffiusque Umbricorum t. II p. 159 I p. 100 s., quorum placita cum alii tum idem Bruppacherus p. 50. 70 calculo suo comprobavere, paulo artificiosius osci vocabuli similiumque sermonis umbrici propaginem hoc schemate informaverunt (et numeros temporum ordinem, adpictam stellulam intermortuas formas designare scito):

1.	2.	3.
* *vat-u-a*	*vat-u-v-a*	*vat-u-o*
* *kastr-u-u*	*kastr-u-v-u*	*kastr-u-o*
* *eiti-u-a*	*eiti-u-v-a*	*eit-u-a*

scilicet primitivum suffixum *u* ex se semivocalem *v* genuisse eamque precedente tempore rursus evanuisse. in quo placito praeter alia hoc maxime improbo quod sine causa idonea umbrico sermoni antiquissimo formae illae *v* sono carentes de coniectura obtrudantur. simplicius certe hoc schemate rem expedire mihi videor:

1.	2.
vat-ū-v-a	*vat-ŭ-o*
eiti-ū-v-a	*eit(i)-ŭ-a*

nam *kastruvu, kastruo* vocabuli num eadem sit condicio dubito. neque vero solis ego umbricis oscisque exemplis illis paucissimis fretus a sententia sospitatorum italici sermonis discessi: latina meae opinioni quasi quoddam fundamentum substruxi. haud pauca enim nomina huius linguae ita genita sunt, ut *-vo, -va* suffixum stirpi in consonam mittenti accesserit, quae si e genere liquidarum fuit, mansit primitiva *v,* ut in *cur-vus, fur-vus, lar-va, sal-vus,* si e mutarum, versa est in vocalem, ut in *noc-uus, vac-uus, exig-uus.* sed antiquiori sermoni in eisdem his suffixum primitivum longa vocali *i* augere placuit, ut quae cultiore aetate *vac-uus, noc-uus, inrig-uus* dicebantur, ea saeculo urbis sexto *voc-ī-vos, inrig-ī-vos, noc-ī-vos* sonarent. ac primi quidem vocabuli exempla plautina in volgus nota sunt, alterius Catoniana servaverat archetypus commentarii rustici codex nunc deperditus duo c. 8, 1. 50, 1 (qua de re dixi in censura exempli keiliani ephem. litt. Berolinensis 1882, 1528): tertium, licet tenuia eius extent vestigia et ea haud antiqua, tamen ad illorum normam exigere non dubitavi. eodem pertinet *soniv-i-us* adiectivum, cuius memoriam solae glossae e sacris libris excerptae servarunt. sed latius grassatum est idem suffixum in adiectivorum a participiorum stirpibus declinatione idque ab antiquissima inde aetate: velut prisca sunt haec omnia *abdit-ivus, empt-ivus, incent-ivus, imperat-ivus, impetrat-ivus, oblat-ivus, invect-ivus, stat-ivus,* de quibus dixi in Hermae hübneriani t. XV p. 15 s. sed ut ad breviorem suffixi formam redeam, oscum sermonem consonarum mutarum cum semivocali *v* viciniae minus impatientem fuisse quam latinum, nominis *Kap-va* scriptura, quod *Cap-ua* latine factum est, demonstrat. addidi programmatis hibernarum h. a. lectionum p. 28 s. vocabulum *ob-ua* vel, quod magis frequentabatur *obb-a* latine factum illud ex osco *ob-va.* quae coniectura hac mea disputatione vel maxime firmatur. — ad veriloquium vocabuli *eitua, eitiuva, eitiva* captandum non me patiar abripi, prius quam citra opinationes mihi constiterit de vocabuli umbrici *eitipens* structura, cuius cum osco necessitudinem dudum est cum grammatici per manus tradere instituerunt.

Egregiae Aufrechti et Kirchhoffii operae hoc quoque debemus, quod de praescriptis decretorum, quae in parte antica tabulae iguvinae quintae leguntur, quo ad rationem grammati-

cam amplius dubitari nequeat. sic igitur bina legis capita lineola inter se distincta incipiunt, alterum: *esuk frater Atiiediur eitipes, plenasier urnasier, T. T. kastruciie: adfertur* e. q. s. alterum: *frater Atiiediur esu eitipes, plenasier urnasier, uhtretie K. T. Kluviier: kumnah* e. q. s. haec illi sic latine fecerunt: *sic fratres Attidii censuere,* '*plenasiis urnasiis*' — de quibus vocabulis nunc nil dico —, *ex auctoritate T. Castrucii T. f.* (*K. Cluvii T. f.*): necessario igitur *eitipes* pro perfecto sive praeterito verbi habendum esse, idque *eitipens* primitus sonuisse; neque vero — sunt verba ipsorum — obscura huius formae omnia iam esse inlustrata. probe igitur agnovere illi hoc agi ut signum temporis perfecti probabili ratione demonstretur. a quo tamen conatu ei qui hoc inventum certatim arripuere manum abstinuere. iam primum tenendum est de perfecti umbrici varietatibus non aeque nobis constare ac de osci latinive. hoc solum constat Umbros quoque a verborum stirpibus nudis perfecti formam duplicem declinasse, alteram reduplicatione insignem, alteram productione suppletoria vocalis radicalis: nam ut Osci *fefakit, hipit* a *fak-, hăp-* stirpibus, Latini *pepulit*, *cēpit* a stirpibus *pĕl-, căp-*, ita Umbros a stirpibus *dic-* et *ben-i-* perfecta *dedike(t), bēne(t)* derivasse apparet. aliter res habet in stirpibus vocali auctis. ad earum enim perfecta formanda cum Latini sola *v* inter vocalem et finalem inserta usi sint, ut *amā-v-it, delē-v-it, cond-ī-v-it,* Osci modo *f* modo *t* duplicem adhibuere, ut *prùfa-tted, amana-ffed.* nam quod his duobus generibus grammatici alia duo addunt singulis usi eisque perdubiis exemplis, rem suapte natura parum probabilem videntur argumentis debilibus adfirmasse: scilicet lacerum illud *umbn* ¦ * *vd* tituli n. 17, quod *umbn*[*a*]*v*(*e*)*d* interpretantur, argumento esse volunt latinam declinandi formam Oscis quoque familiarem fuisse; graecam perfecti in k mittentis formam eliciunt e vocabulo *λιοκακειτ* tituli n. 143. et hoc quidem, quod *lioka-kket* latine scribendum est, vide ne a corrupta genuinae formae *loka-tted* pronuntiatione provenerit. nam cum *kt* consonae Oscis in *tt* vertantur, apparet *loka-tted* et *loka-kted* facile potuisse pronuntiando permutari: at rursus *loka-kted* et *loka-tted* perexiguo inter se distant discrimine. itaque longe alia mihi de hoc exemplo mens est atque Georgio Curtio Verbi graeci t. II p. 231. sed ad certa declinationis genera redeo. formam igitur duplici *t* insignem etiam decurtabant. nam *ùps-aum* et *prùf-aum* faciunt *ùps-ed, prùff-ed,* ut *sonarę* latinum *son-uit.* et illorum quidem perfectorum, quae *t* duplicatae signo efficta sunt, et genus intra fines italici sermonis singulare est, si quidem oscae notae est quod in Paelignis inventum est *cois-a-ttens,* et ratio non explicatur comparato celtici sermonis perfecto non minus singulari: id quod Schleicherum non fugit huius comparationis auctorem Compendii p. 823. post Schleicherum qui alia temptavere ad liquidum certe quaestionem non perduxere. iam Umbros dixeris eo quoque ab Oscorum quam a Latinorum consuetudine propius abfuisse, quod plus uno suffixo in perfectis stirpium vocali auctarum formandis usi sint. sed ea laboramus harum formarum penuria, ut in coniectura capienda acquiescendum sit. itaque vix crediderim praeter suffixum-*fi,* quod solum exemplis munitum est, ut in illis *pcha-fi, piha-fei,* nulla fuisse. quodsi *eitipe(n)s*

formam accuratius examinaveris, invenies aut *eit-i-p-ens* aut *eitip-ens* in partis suas dirimendam esse. hoc si statueris, sumpseris oportet perisse ibi signum perfecti, ut *eitip-ens* osco *ùps-ens* plane fiat gemellum: fiet autem verbi stirps *eitip-* vel *eitip-a* ut *ùpsa-*. illud si statueris, rem sane singularem sumpseris, fuisse Umbris perfecti formam litterae *p* signo effictam, infinitivum autem temporis praesentis huius verbi *eiti-um* fuisse: tertium non datur. sed, ut dixi, in ea exemplorum huius generis penuria ultra coniecturam prodire non datur. — iam *eiti-um*, sive *eitip-um* fuerit verbum, *censere* significat: huius verbi siqua sit cum nomine *eit-ua*, *eit-i-uva*, quod *pecunia* significat, cognatio, certe significatio utriusque eodem vinculo facile contineatur, quo Latinorum *aes* et *aestimare*. neque enim umquam a me impetrare potui ut aestimandi notionem ab aere pensitando taxandove divellerem nec dubito quin homines docti nisi si qui loquendi consuetudinem unius aestimarint assis ad hanc veterum nostrorum grammaticorum sententiam reversuri sint. notionis enim originem si respexeris quid magis est conveniens? modo respexeris mancipandi per aes et libram testamentaque faciendi morem: structuram vocabuli si quis repugnare dixerit, nescio an nominum *aed-i-tum-us*, *vic-(i)-tum-a* analogia sufficiat ad fulciendam verbi illius hanc discriptionem *aes-(i)-tum-are*, ubi *s* litteram stirpis finalem, non nomitavi casus esse intellegent periti. sed nolo longius de via deflectere.

Omisi ut par est in hac *eitiuva* vocabuli explicatione testimonia prorsus incerta aeris Marrucinorum, quod a vico Rapino nuncupari solet, atque Etrusca. et in illo quidem paenultimo versu non solum quid significent *eitua mam* plane incertum est, sed ne hoc quidem constat an ea in hunc modum inter se et a ceteris vocabulis recte divisa sint. etrusca vocabuli *eitva* exempla, quae Corssenus edissertavit Etruscorum linguae t. I p. 481, cur hoc anno 1882 ab italicarum quaestionum limine arceamus, non mirabuntur, qui etruscorum studiorum amfractus patienter persecuti sint. itaque quod Deeckius nominativo *eitva* dativum *etve* adinvenisse sibi visus est Etruscarum quaestionum, quas nunc coniuncta cum Paulio opera edit, secundo fasciculo p. 59, 238, scilicet italicam sermonis etrusci originem illo temporis momento tutatus ibidem p. 64, id quidem nec socio suo facile probaverit, qui tertio earundem Quaestionum fasciculo eodem anno emisso p. 77 certissimis sese argumentis vicisse proclamat, nullam etrusco sermoni cum Italis necessitudinem intercedere, et an ipse probaverit Deeckius tum cum haec nostra in publicum edentur, parum mihi constat. expectabo igitur donec contentio ista deferbuerit proverbii memor quod ad rem nostram cum maxime pertinet 'cras credo hodie nihil'.

Itaque contigit ut *eitua*, pecunia, *eitipe(n)s*, censuere, eodem notionis vinculo coniuncta esse inveniremus quo *aes* et *aestimare* latina. sed radicem utriusqe vocabuli osci veriloquiumque ut eruamus non item confidimus: hoc confidimus non amplius quemquam latina *itus*, *idus* cum notione stirpis oscae esse conciliaturum. quasi vero *reditus*, εἴσοδος, ad pecuniae significationem non pervenerint praefixi augmento solo aut pecunia dicta esse possit inde quod itaverit per hominum manus aut denique dividendi notio quae attribuitur *ictus* vocabulo quicquam cum possidendi habeat commune. sed ea omnia tam sunt inepte excogitata, ut semper

miratus sim quo pacto potuerint emunctae certe naris hominibus placere. quodsi quae de nominis cum verbo necessitudine exposui recte exposui, apparet requiri *eit-* stirpis notionem eius generis quae ut iuris vocabulo utar cum rebus mancipi aliquid necessitudinis habeat. quodsi per leges grammaticae liceret *eit-ua, eit-ipens* a radice *vĭt-* repetere, unde Graecis Ἰταλός, Italicis et ipsorum nomen et *vĭtel, vĭtulus*, deflexa sunt, sane latino *pecunia* oscum *eitua* ut lac lacti esset simile. sed video huic suspicioni gravissimas obstare dubitationes. osci enim latinique populi in hoc vocabulo haud secus atque in aliis primoris digammatis tenacissimi fuerunt: nequid dicam de graeci vocabuli origine quam egregia Heisterbergkii commenta admodum suspectum reddidere. itaque veriloquium vocabuli in medio relinquam.

De *Appellunes* vocabuli forma breviter absolvam et ut meamet ipse vestigia legam. nempe hoc aliisque testimoniis nuper adinventis ea quae Symb. crit. p. 20 ss. de graecis italicisque nominis formis docui ampliari non antiquari gaudeo. latine igitur deus inde ab antiquissimis temporibus *Apollo, Apolo* vocitatus est: testes sunt tituli inter Umbros, Latinos, Campanos inventi omnes eique remotae antiquitatis, ut iusto magis credulus sit, qui glossae misere decurtatae illi *Apellinem antiqui dicebant pro Apollinem* fidem habeat. osce *Apellun* vel *Apellon* id vocabulum sonuisse ut antehac parum idoneo tituli messanensis testimonio utpote graecissantis creditum est ita locupleti nostri tituli extra controversiam ponitur. hanc in Graecia primitivam fuisse vocabuli formam, ut Ἀπέλλων postea demum Ἀπόλλων factum sit, nunc quoque propter ea argumenta quae olim exposui teneo; hoc quoque teneo Dorienses non omnes Ἀπέλλων forma usos esse. accessere interim testimoniis a me conpositis ex vetere Graecia thessala tituli Larissaei v. 22. 44, ubi Ἄπλουνος, quod Thessalis dudum et monumenta et Platonis testimonium vindicabant, e coloniis italicis insignis unum auctoritatis quippe et achaicum origine et facile omnibus quae in terra Italia reperta sunt Apollinis nominis exemplis vetustius, tituli metapontini a Domenico Comparetti in Notitiis Fiorellii (a. 1880 p. 190 s. t. VI,4) editi: Ἀπόλωνος Ἀνκ. ἐμὶ, Θεάγεος Ῥυδ. ϑ[ῆμα?]. praeterea nunc in syracusano titulo, in quo olim ea ipsa vocabuli pars, de qua disputabam, legi non posse ferebatur, nunc dicitur claro comparere: τοπελονι (IGA 509). nec mirum in ea regione recentiorem formam in usu fuisse.

A vocabulis rerum ad res ipsas cum devenio video mihi hoc quidem loco paucis absolvendum esse. constabat enim ut Herculis ita Apollinis numen religionibus Italorum antiquitus esse insertum. atque Romae quidem Apollinar fuit antequam saeculo urbis quarto aedes Apollini ante portam Capenam facta est; inter Campanos autem osce loquentes pari Apollinem antiquitus honore fuisse, vicinia Cumani sacrarii videbatur suadere augebatque eius suspicionis gravitatem fama ab Alfio rerum scriptore propagata (teste Festo p. 158), Apollinis monitu factum esse, ut populi Samnitium voto vere sacro colonos latius propulsarent. nunc, postquam pro comperto est, oscum Pompeiorum populum celeberrimo urbis loco Apollinis templum adstruxisse amplitudine illud et magnificentia inter cetera eius regionis aedificia si non primum at certe secundum, gaudemus quod suspicionum illarum tanquam quoddam diluculum clarissima lux

necopinato subsecuta est. — quamquam quid loquor? non mirabor si audivero ne hoc quidem testimonio litem videri diremptam esse. vivimus enim saeculo admirandorum atque phantasmatum, quo quidem quod vir quidam et ingenio et doctrina insignis, sed idem a nostra disciplina alienus eique paene infensus aliquando per irrisionem iactavit, usu venire plus uno exemplo didicimus: deos veterum Romanorum, qui olim securum egerint aevum, nunc quodannis mutare sedes suas, non sponte sua verum prout conlibuerit philologis, quippe qui in templorum locatione exultent tanquam insularii.

Nos interim bonae Spei si fas est dicere vota faciamus ut hoc exemplo prorsus singulari fervidius illud quo praecipites damur divinandi studium in tempore coherceat.

Datum Regimontii m. Dec. a. 1882.

I. SCHOLAE THEOLOGORUM.

1. Professorum ordinariorum.

HENR. IOAN. MATTH. VOIGT, theol. Dr. P. P. O. tertius. Decanus.

I. Publ. Epistolam Pauli ad Philippenses datam die Lunae h. IV interpretabitur.

II. Privat. 1) Historiae ecclesiasticae partem tertiam quinquies h. X enarrabit.
2) Theologiae dogmaticae partem priorem docebit trinis diebus h. XI.

III. Privatissime et gratis. Seminarii theologici sectionem systematicam die Veneris h. IV et V dirigere perget.

IOAN. GEORGIUS SOMMER, theol. Dr. P. P. O. primarius, ordinis Theol. Senior.

I. Publ. Introductionem historico-criticam in libros apocryphos Veteris Testamenti tradet die Mercurii hora VIII.

II. Privat. 1) Antiquitates sacras Veteris Testamenti describet quater hora VIII.
2) Iobi librum interpretabitur quinquies h. IX.

III. Privatissime et gratis. Seminarii theologici sectionem exegetico-criticam V. T. dirigere perget d. Iovis h. V et VI.

HENR. GUIL. ERBKAM, theolog. Dr. P. P. O. secundus.

I. Publ. Historiam controversiarum, quae in ecclesia Lutherana a tempore mortis Lutheri usque ad formulam concordiae componendam inciderunt, enarrabit d. Martis hora IV.

II. Privat. Historiam ecclesiae Prussicae quaternis scholis h. IX explicabit.

III. Privatissime et gratis. Seminarii theologici sectionem historicam dirigere perget d. Lunae h. V. et VI.

RUD. FRID. GRAU, theol. et phil. Dr. P. P. O. quartus.

I. Publ. De nonnullis ecclesiae antiquae theologis illustribus disseret die Mercurii h. XII.

II. Privat. 1) Epistulam Pauli ad Romanos datam interpretabitur scholis quinis h. XI.
2) Vitam Iesu narrabit scholis quaternis h. XII.

III. Privatissime et gratis. Seminarii theologici sectionem exegetico-criticam N. T. dirigere perget die Martis h. V et VI.

IOAN. CAR. HERM. IACOBY, theol. Dr. P. P. O. quintus.

I. Publ. Epistolam Iacobi ad usum practicum interpretabitur die Mercurii h. IV.

II. Privat. 1) Theologiae practicae partem secundam, quae ad regimen et administrationem ecclesiae pertinet, explicabit quater h. VII.
2) Theologiae practicae partem tertiam (catecheticam, curam pastoralem, doctrinam de propagatione evangelii inter gentes) docebit quinquies h. VIII.

III. Privatissime et gratis. Sectionem seminarii theologici practicam d. Mercurii h. V et VI moderari perget.

2. Professoris extraordinarii.

ALBERTUS HENRICUS ERNESTUS KLÖPPER, theol. Dr. P. P. E.

I. Publ. Capita ex evangeliis synopticis selecta disputando pertractabit semel p. hebd. die Saturni h. XII.

II. Privat. Epistolam Pauli ad Galatas datam interpretabitur bis p. hebd. diebus Martis et Iovis.

II. SCHOLAE IURISCONSULTORUM.

1. Professorum ordinariorum.

CAROLUS GÜTERBOCK, Dr. P. P. O. Decanus.
I. Publ. Ius familiae et hereditarium Borussicum die Saturn. h. X—XII.
II. Privat. 1) Processum civilem iuris Germanici hodierni ratione adhibita iuris Borussici sexies per hebd. h. IX tradet.
2) Processum criminalem quinquies per hebd. h. X docebit.

THEODORUS SCHIRMER, Dr. P. P. O. ICtorum senior.
I. Publ. 1) Exercitationes exegeticas in seminario moderari perget h. def.
2) De iure servitutum disseret dieb. Lunae et Iovis h. III.
II. Privat. Institutiones iuris civilis Romani tradet quotidie h. X.

FELIX DAHN, Dr. P. P. O.
I. Publ. Exercitationes in seminario:
a) in iure privato germanico;
b) interpretatio speculi Saxonum (Liber II.)
II. Privat. 1) Historiam iuris germanici: quinquies hora XI.
2) Ius commercii, commercii maritimi et cambii Germanicum: quinquies hora XII.
3) Ius publicum regni Borussici: quinquies hora V.

PAULUS KRÜGER, Dr. P. P. O.
I. Publ. In seminario iuridico exercitationes iuris Romani privati instituet die Mercurii hora VI.
II. Privat. 1) Historiam iuris Romani enarrabit quinquies hora IX—X.
2) Ius hereditarium Romanum docebit quinquies hora VIII—IX.

PHILIPPUS ZORN, Dr. P. P. O.
I. Publ. In seminario exercitationes iuris publici instituet die Martis h. VI—VIII pom.
II. Privat. 1) Ius gentium docebit quater h. VII mat.
2) Ius publicum imperii Germanici tradet ter. h. d.
3) Ius administrationis imperii Germanici tractabit quater h. VIII mat.

2. Professoris extraordinarii.

CAROLUS SALKOWSKI, Dr. P. P. E.
I. Publ. De iure familiae disseret die Saturni h. IX—XI.
II. Privat. 1) Pandectarum partem priorem (praecepta generalia et ius quod ad res pertinet) tradet quinquies h. IX.
2) Pandectarum partem alteram (ius obligationum) tradet quinquies h. X.
III. Privatissime et gratis. Fontium iuris Romani locos in compendio suo Institutionum (ed. III Lips. 1880) selectos cum tironibus, Institutiones iur. Rom. repetiturus tractabit die Mercurii et Saturni h. VIII.

III. SCHOLAE MEDICORUM.

1. Professorum ordinariorum.

IULIUS IACOBSON, Dr. P. P. O. Decanus.
I. Publ. De sensu colorum legitimo et abnormi, et maxime quidem de sensu adversus colores hebeti semel p. h. d. Lat. h. XI$^1/_2$—XII$^1/_2$.
II. Privat. Clinicum et policlinicum ophthalmologicum quinquies p. h. dd. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. II—III.
III. Privatissime. Exercitationes operativas ophthalmologicas semel. p. h.

RUDOLFUS DOHRN, Dr. P. P. O.

I. Publ. Ambulatorium policlinicum instituet quinquies p. h.

II. Privat. 1) Cursum operat. obstetric. diriget quater p. hebd.

2) De vitiis pelvis disseret semel p. hebd.

III. Privatissime. Clinicum obstetricium et gynaecologicum diriget quinquies p. hebd.

GEORGIUS HIRSCH, Dr. P. P. O. Non leget.

MAX IAFFE, Dr. P. P. O.

I. Publ. Chemiam urinae semel p. hebd. d. Saturni h. XII—I.

II. Privat. Chemiam physiologicam et pathologicam cum exercitationibus practicis quinquies p. hebd. hora V—VI.

III. Privatissime. Exercitationes practicas in laborator. medico-chemico.

BERNH. NAUNYN, Dr. P. P. O.

I. Publ. 1) Policlinicen diriget una cum Dr. Schreiber quot. h. IX—X.

2) De morbis cerebri et medullae spinalis qui luem veneream consequntur semel p. hebd. d. Sat. h. VII—VIII.

3) Clinicen medicam habebit quotidie h. X—XI$^1/_2$.

ERNEST. NEUMANN, Dr. P. P. O.

I. Publ. Anatoniam pathologicam cerebri, medullae spinalis, nervorum et musculorum docebit semel p. h. h. IX—X d. Veneris.

II. Privat. Histologiam pathologicam tradet ter p. h. d. Martis, Mercurii, Iovis h. IX—X.

III. Privatissime. Cursum microscopicum diriget sexies p. h. d. Martis, Iovis, Veneris h. III—V.

CAROLUS SCHÖNBORN, Dr. P. P. O.

I. Publ. Selecta capita chirurgiae specialis tradet die Saturn. h. VIII—IX$^1/_2$.

II. Privat. Clinicum et policlinicum chirurgicum moderabitur quinquies p. h. h. XI$^1/_2$—I$^1/_2$.

III. Privatissime. Cursum operationum chirurgicarum instituet quater p. hebd. dieb. Mart., Mercur., Iovis, Veneris h. VI—VIII matutinis.

GUSTAVUS SCHWALBE, Dr. P. P. O.

I. Publ. Anatomiam organorum sensus bis per hebd. docebit h. IX—X diebus Mercurii et Saturni.

II. Privat. 1) Osteologiam et syndesmologiam ter per hebd. leget diebus Lunae, Iovis et Saturni h. X—XI.

2) Neurologiam quater per hebd. h. IX—X diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris.

3) Embryologiam animalium vertebratorum diebus Martis, Mercurii et Veneris h. X—XI tractabit.

GUILIELMUS DE WITTICH, Dr. P. P. O.

I. Publ. Physiologiam generalem semel. p. hebd.

II. Privat. 1) Physiologiae experimental. partem quae doctrinam processuum animalium continet quater p. hebd. tradet hor. VIII—IX.

2) Physiologiam auditus necnon linguae et vocis bis p. hebd. hor. VIII—IX.

III. Privatissime. Exercitationes practicas in Laboratorio physiologico quotidie diriget una cum Dr. Langendorff.

2. Professorum extraordinariorum.

PAULUS BAUMGARTEN, Dr., P. P. E.

I. Publ. Anatomiam pathologicam morborum infectiosorum inclusis Syphilide et Tuberculosi. semel per hebdom.

II. Privat. Histologiam pathologicam morborum oculi bis per hebdom.

III. Privatissime. Cursum demonstrativum anatomicum et pathologicum cum exercitationibus in obductionibus ter vel quater per hebdom.

BERTHOLD. BENECKE, Dr., P. P. E.
I. Publ. Mechanicen corporis humani exponet semel p. h.
II. Privat. Entozoicorum hominis historiam naturalem et evolutionem docebit bis p. h.

AEMILIUS BERTHOLD, Dr., P. P. E.
I. Publ. Clinicum otiatricum moderabitur bis per hebd.
II. Privat. Exercitationes usus ophthalmoscopii diriget bis per hebd.
III. Privatissime et gratis. Rhinoscopiam semel p. hebd. tradet cum exercitationibus practicis.

HENRICUS BOHN, Dr., P. P. E.
Publ. 1) De morbis cutaneis ter per hebdom. cum demonstrationibus. hh. cc.
2) De vaccinatione semel per hebdom. cum exercitationibus vaccinandi.

ERNEST. BUROW, Dr., P. P. E.
I. Publ. Laryngoscopiam docebit, semel per hebd. c. exercitationibus in aegrotis.
II. Privat. Policlinicen propaedeuticochirurgic. moderabitur bis per hebd. c. demonstrationibus aegrotorum.

IULIUS CASPARY, Dr., P. P. E.
I. Publ. Capita selecta dermatologiae semel per hebd.
II. Privat. Syphilidologiam bis per hebd.

ALFREDUS GRÜNHAGEN, Dr., P. P. E.
I. Publ. De calore animalium semel p. hbd. docebit.
II. Privatissime. Cursum histologicum quater p. hbd. habebit.

S. PINCUS, Dr., P. P. E.
Publ. 1) Medicinam forensem cum demonstrationibus practicis. bis p. h.
2) Eandem in usum studiosorum iuris. semel p. h.
3) De Hygieina publica. semel p. h.

S. SAMUEL, Dr., P. P. E.
I. Publ. a) Historiam medicinae docebit semel per hebd. hora IV—V.
b) Therapiam generalem ter per hebd. hora IV—V.

RUDOLFUS SCHNEIDER, Dr., P. P. E.
I. Publ. Aegrotos syphiliticos demonstrabit semel per hebd.
II. Privat. Morbos venereos docebit bis per hebd.

3. Doctorum privatim docentium.

ROBERTUS FALKSON, Dr.
Privatim. Chirurgiam generalem docebit, bis per hebd., die Martis et Veneris hora VI—VII.

OSCAR LANGENDORFF, Dr.
I. Gratis. De respiratione disseret. Semel p. hebd.
II. Privat. De graphicis physiologiae methodis. Bis per hebd.

FRANCISCUS MESCHEDE, Dr.
I. Gratis. Psychiatriam specialem una cum demonstrat. aegrotorum clinicis docebit bis per hebd.
II. Privatissime et gratis. Clinicen psychiatricam moderabitur bis per hebd. hor. def.

HERMANUS MÜNSTER, Dr.
Gratis. De morbis neonatorum (I.) semel p. hebd.

THEODORUS PETRUSCHKY, Dr.
I. Gratis. Quomodo prohibeatur, ne corrumpantur ea, quae ad servandam hominis vitam sanitatemque maxime sunt necessaria, docebit die Veneris h. IV—V.
II. Privat. Medicinam forensem cum demonstrationibus practicis tradet d. Lunae et Iovis IV—V.
III. Privatissime. Exercitationes practicas medicoforenses instituet horis definiendis.

IULIUS SCHREIBER, Dr.
I. Gratis. Policlinic. medicin. una cum Prof. Naunyn docebit quotidie IX—X.
II. Privat. 1) Pathologiam et therapiam special. morborum tractus respirator. et circulator. docebit ter per hebdom.
2) Exercitationes practicas auscultationis et percussionis dirig. ter per hebdom.

GEORGIUS DE SEIDLITZ, Dr. Non leget.

CAROLUS SEYDEL, Dr.
I. Gratis. De operat. gynaecologic. semel per hebd. disseret.
II. Privat. De gynaecolog. part. I. ter per hebd.

ERNESTUS STADELMANN, Dr. Non leget.

GEORGIUS STETTER, Dr.
Privat. De luxationibus disseret. Semel per hebd. d. Saturn. h. V—VI.

ADOLPHUS VOSSIUS, Dr.
I. Publ. Diagnostic. physical. oculi etc. semel per hebd. tradet.
II. Privat. Exercitationes ophthalmoscopicas bis per hebd. moderabitur.

THEODORUS TREITEL, Dr.
Privatissime exercitationes ophthalmoscopicas bis per hebd. diriget.

IV. SCHOLAE PHILOSOPHORUM.

1. Professorum ordinariorum.

IULIUS WALTER, Dr., P. P. O. Decanus.
I. Publ. Exercitationibus philosophicis bis p. h. institutis doctrinam ethicam Aristotelis tractabit.
II. Privat. Historiam philosophiae recentioris temporis a Cartesio usque ad tempora nostra tradet quater. p. h. h. XI—XII.

MAXIM. BAUER, Dr., P. P. O.
I. Privat. Mineralogiam cum crystallographia docebit quinquies per hebd. diebusa Lunae ad Veneris h. XII—I.
II. Privatissime. Exercitationes mineralogicas habebit semel per hebd. die Iovis. h. IV.

ADALB. BEZZENBERGER, Dr., P. P. O.
I. Publ. Libros letticos lituanicosque interpretandos proponet. Semel per hebd
II. Privat. a) Grammaticam linguae anglosaxonicae } tradet binis horis.
b) Grammaticam palaeobactricam }

ROBERTUS CASPARY, Dr., P. P. O.
I. Publ. Exercitationes microscopicas botanicas instituet bis p. h. hor. constituendis.
II. Privat. 1) Botanicen generalem i. e. principia morphologiae, anatomiae et taxologiae micros copicis demonstrationibus et excursionibus dilucidata tradet senis per hebd- h. VIII—IX. Excursiones instituet h. h. postmeridianis die Saturni.
2) Plantas officinales ter. p. h. tradet die Lun., Mart. et Ven. h. IX—X.

LUD. FRIEDLÄNDER, Dr., P. P. O.
I. Publ. In Seminario philologico Statii Silvas interpretandas proponet et ceteris exercitationibus praeerit d. Lunae et Iovis h. IV—V.
II. Privat. Epigraphicam Graecam et Romanam enarrabit sexies h. IX—X.

THEODORUS BARO DE GOLTZ, Dr., P. P. O.
I. Publ. De rationibus in administratione rurum adhibendis semel per hebd. tractabit d. Lun. h. VIII—IX.
II. Privat. 1) De rurum aestimatione quater per hebd. disseret dd. Lun. Mart. Iov. Ven. h. X—XI.
2) De pratis colendis binis horis docebit d. Merc. h. X—XII.

RICHARDUS HERTWIG, Dr., P. P. O.
I. Publ. Histologiam generalem semel p. hebd. h. V—VII. d. Lun. enarrabit.
II. Privat. Zoologiam sexies p. hebd. h. XI—XII tradet.
III. Privatissime. Exercitationes zoologicas moderabitur h. V—VII d. Martis et Iovis.

GUSTAVUS HIRSCHFELD, Dr., P. P. O.
I. Publ. De Cypro, Rhodo, Sicilia insulis disseret semel per hebd. d. Merc. h. XI—XII.
II. Privat. Historiam artis Graecae nec non Romanae tradet quater per hebdomadem diebb. Lun. Mart. Iov. Ven. hor. XI—XII.
III. Privatissime. Exercitationes epigraphices Graecae instituet semel per hebdomadem horis defin.

HENRICUS IORDAN, Dr., P. P. O.
I. Publ. 1) In seminario philologico Hesiodi opera et dies interpretanda proponet cetera de more reget d. Merc. h. IX—XI.
2) Monumenta epigraphica latina (in primis senatus consulta) interpretanda proponet h. p. h. singulis postmodo definiendis.
II. Privat. Grammaticam latinam tradet quaternis scholis diebus Lun. Mart. Iov. Ven. h. X—XI.

ALPHONSUS KISSNER, Dr., P. P. O.
I. Publ. In Seminario romano-anglico exercitationes bis p. h. instituet.
II. Privat. Linguae francogallicae grammaticae partem alteram tradet et carmen francogallicum la chanson de Roland interpretabitur senis p. h. horis.

GUILIELMUS LOSSEN, Dr., P. P. O.
I. Publ. Theoreticae chemiae capita selecta die Iovis horis pomer. VI—VII.
II. Privat. Chemiae partem organicam enarrabit senis per hebd. horis mat. VII—VIII.
III. Privatissime. 1) In laboratorio chemico exercitationes quotidianas moderabitur.
2) Exercitationes minores in laboratorio chemico diriget hor. constit.

ARTHURUS LUDWICH, Dr., P. P. O.
I. Publ. In proseminario Demosthenis de corona orationis interpretationem et ceteras exercitationes moderabitur d. Merc. IV—VI.
II. Privat. 1) Litterarum Graecarum historiam inde ab Alexandri M. aetate docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. III—IV.
2) Sophoclis Antigonam interpretabitur d. Mart. et. Ven. h. IV—V.

EDUARDUS LUTHER, Dr., P. P. O.
I. Publ. Orbitarum planetarum determinationem explicabit bin. h. h. per hebd.
II. Privat. Geodaesiam tractabit dd. Mercur. et Saturn. h. h. IX—XI.

AUGUSTUS MÜLLER, Dr., P. P. O.
I. Publ. Coranum interpretabitur d. Mart. et Ven. h. VIII—IX mat.
II. Privat. 1) Exercitationes linguae Hebraeae moderabitur d. Mart. et Iov. h. VII—VIII.
2) Linguam Syriacam profitebitur d. Merc. et Ven. h. VII—VIII mat.

FRANCISCUS NEUMANN, Dr., P. P. O. Ordinis philos. senior. Non leget.

CAROLUS PAPE, Dr., P. P. O.
I. Publ. De methodis physicis disseret semel p. h.
II. Privat. Physices experimentalis partem II (Electricitatem, Opticen) docebit quinquies p. h. h. III—IV.
III. Privatissime. Exercitationes practicas instituet h. c.

IOAN. PRUTZ, Dr., P. P. O.

I. Publ. Introductionem in studium historiae, praecipue medii aevi de fontibus, methodo, arte critica disserens, adumbrabit semel p. hebd. h. XI.

II. Aetatis reformationis quae vocatur historiam universalem enarrabit quinquies p. hebd. h. X—XI.

III. Privatissime et gratis. Seminarii historici exercitationes moderari perget.

HENRICUS RITTHAUSEN, Dr., P. P. O.

I. Publ. Chemiam alimentorum II. part. doc. d. Mart. V—VI.

II. Privat. Chemiam nutritionis plantarum et stercorationis doc. quater p. hebd. dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. h. IX—X.

III. Privatissime. 1) Exercitationes practicas in laborat. chemico diriget dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. I—VI. d. Sat. h. VIII—XII.

2) Exercit. pract. d. Lun. Merc. Ven. h. I—VI.

FRANCISCUS RÜHL, Dr., P. P. O.

I. Publ. Exercitationes palaeographicas moderabitur die Mercurii h. XII.

II. Privat. De antiquissima historia Italiae populique Romani disseret quater p. h. h. XII.

III. Privatissime sed gratis. Exercitationes seminarii historici moderari perget semel per hebd. h. VI.

OSCAR SCHADE, Dr., P. P. O.

I. Publ. De Nibelungis carmen epicum interpretari perget bis p. hebd. diebus Martis et Veneris hora postmer. IV—V.

II. Privat. Historiam poeseos Germanicae veteris leget quinquies p. hebd. hor. VIII—IX.

AUGUSTUS SIMSON, Dr. phil. et theol., P. P. O.

Publ. Librum Iesaiae interpretabitur quinquies p. h. hora IV.

HERMANNUS SPIRGATIS, Dr., P. P. O.

I. Publ. Chemiam theoreticam semel per hebd. tractabit.

II. Privat. Chemiam pharmaceuticam quater per hebd. hora X.

III. Privatissime. Exercitationes practicas in laboratorio diriget imprimisque quae sit ratio victibus corruptis vitiatisque explorandis adhibita, quoque modo venena in chemico-forensibus quaestionibus reperiantur, demonstrabit.

GÜNTHER THIELE, Dr., P. P. O.

I. Publ. Exercitationes philosophicas moderabitur bis p. hebd. h. def.

II. Privat. Logicam et cognoscendi theoriam docebit, libellum suum (Grundriss der Logik etc. Halle, M. Niemeyer, 1878) secuturus, dd. Lun. Mart. Iov. Ven. hor. V—VI.

CAROLUS UMPFENBACH, Dr., P. P. O.

I. Publ. Explicationes statisticas ad oeconomiam publicam pertinentes semel p. h. die Ven. h. IX—X.

II. Privat. 1) Oeconomiae publicae partem primam (Volkswirthschaftslehre) ter p. hebd. diebus Mart. Merc. Iov. hora IX—X.

2) Financiae disciplinam quater p. h. d. Mart. Merc. Iov. Ven. h. VIII—IX.

CAROLUS ZÖPPRITZ, Dr., P. P. O.

I. Publ. Geographiam mathematicam tradet die Ven. h. IX—X.

II. Privat. Geographiam Americae. Diebus Lun. Mart. Merc. Iov. h. IX—X.

III. Privatissime. Exercitationes geographicas mod. die Sat. h. IX—X½.

2. Professorum extraordinariorum.

HERMANNUS BAUMGART, Dr., P. P. E.
I. Publ. Capita selecta ex Aristotelis libris ethicis atque rhetoricis, quae ad librum eius de arte poetica explicandum pertinent, interpretabitur binis horis p. hbd. d. Merc. III—V.
II. Privat. Historiam litterarum Germanorum recentioris aevi inde ab Opitzio usque ad Lessingium tradet ter p. hbd. dd. Lun. Mart. Iov. h. XII—I.

GEORGIUS GODOFREDUS DEHIO, Dr., P. P. E.
I. Publ. De Raphaele semel p. h.
II. Privat. Rationem et genera artis aedificandi secundum temporum ordinem edisseret quater p. h.

RICHARDUS GARBE, Dr., P. P. E.
I. Publ. Quomodo nomina verbaque graece et latine flectantur comparando docebit bis p. h.
II. Privat. Grammaticam Sanscriticam docere perget ter p. h.
III. Privatissime et gratis: Exercitationes Pâlicas instituet semel p. h.

FRIDERICUS KURSCHAT, Dr., P. P. E.
I. Publ. Seminarium littuanicum bis per hebd. dirigere perget.

CAROLUS LOHMEYER, Dr., P. P. E.
I. Publ. Exercitationes diplomaticas diriget semel p. hebd. h. VI—VIII vesp.
II. Privat. Rei diplomaticae partem theoreticam docebit quater p. hebd. h. VIII—IX mat.

GUSTAVUS MAREK, Dr., P. P. E.
I. Publ. Excursiones oeconomicas et demonstrationes practicas instituet d. Sat.
II. Privat. Agriculturam specialem d. Lun. Mart. Iov. XI—XII.
III. Privatissime. Excercitationes in laboratorio oeconomico-physiologico instituet d. Iov. h. III—VI.

CAROLUS RICHTER, Dr., P. P. E.
I. Publ. Policlinicen veterinariam semel per hebd. habebit.
II. Privat. 1) Physiologiam veterinariam quater per hebdom. tradet.
2) De formatione et aestimatione equorum et iumentorum semel per hebd.

GEORGIUS ROSENHAIN, Dr., P. P. E.
I. Publ. 1) Calculum variationum docebit. Quaternis horis p. hebd.
2) Theoriam Determinantium exponet. Binis horis p. hbd.

L. SAALSCHÜTZ, Dr., P. P. E.
I. Publ. De Analysi algebraica praecipue de aequationibus disserere perget binis p. h. h.
II. Privat. Calculum differentialem docebit quat. p. h. h.
III. Privatissime et gratis. De mechanicae rebus variis disseret nec non problemata solvenda proponet semel p. h.

WOLDEMAR VOIGT, Dr., P. P. E.
I. Privat. Theoriam caloris mechanicam docebit bis p. h. IX—XI.
II. Publ. Theoriam gasorum docebit semel p. h. h. IX—XI.
Exercitationes analyticas in seminario physico-mathematico diriget semel p. h. IX—XI.
III. Privatissime. Exercitationes practicas in laboratorio physico-mathematico instituet h. c.

THEODORUS WICHERT, Dr., P. P. E.
I. Publ. Taciti Germaniam explicabit atque antiquitates Germanicas publicas et privatas tradet bis p. hebd.
II. Privat. Populi Germanici res inde ab initiis gestas enarrabit bis per hebd.

3. Privatim docentium.

BERNHARDUS BLOCHMANN, Dr.
Gratis. Volumetricam Chemiae analyticae partem docebit p. h. h. c.

ALFREDUS IENTZSCH, Dr. Non leget.

CAROLUS DE KALCKSTEIN, Dr.
Ex itinere redux lectiones suas indicabit.

HUGO MERGUET, Dr.
Privat. Syntaxis latinae capita selecta bb. hh. tractabit.

FRIDERICUS NÖTLING, Dr.
I. Gratis. Excercitationes palaeontologicas geologicas semel per hebd. moderabitur.
II. Privat. Geologiam Germaniae septentrionalis bis p. hebd. tradet.

RUDOLFUS SCHUBERT, Dr.
Privat. Belli Peloponnesiaci historiam ennarrabit, Thucydidis capita selecta interpretabitur ter h. c.

PAULUS VOLKMANN, Dr.
Gratis. Selecta capita physices mathematicae, quae ad functionem potentialem pertinent, bis per hebd. docebit.

HERMANNUS PELKA, V. D. Min.
Gratis. Seminarium Polon. quater p. hebd.

V. LECTORES.

I. FAVRE.
I. Gratis. 1) Comoediam quae inscribitur: „Le Misanthrope“ leget et interpretabitur semel per hebd.
2) Dictatis expedire perget cum leges dicendi tum vocabula idem significantia linguae Franco-gallicae semel p. h.
II. Privat. 1) In franco-gallicum sermonem vertet Goethii opus quod inscribitur: Reinecke Fuchs bis p. h.
2) Exercitationes grammaticas semel p. hebd. instituet.
3) Satiras Mathurini Regnier interpretabitur semel vel bis p. h.

VI. ARTIUM MAGISTRI.

HEINRICH.
Gratis. Tachygraphiam Germanicam secundum Gabelsbergerum docebit et quidem
1) Verborum formationem et breviationem bis per hebd.
2) Breviationem syntacticam et logicam bis per hebd.

HENRICUS LAUDIEN.
I. Gratis. 1) Artem organis canendi b. hh. tradet.
2) Exercitationes canendi diriget semel p. h.
II. Privat. Doctrinam harmoniarum tradet bis p. h.

EDUARD KEPPNER, Dr.
Artem rudibus battuendi docebit.

OTTO STOIGE.
Artem saltandi docebit.

VII. PUBLICA DOCENDI DISCENDIQUE SUBSIDIA.

Bibliotheca Regia Academica legentibus cotidie hh. X—III, libros petentibus et reddentibus cotidie hh. XI—I patet; Bibliotheca minor civium acad. usui accomodata dd. Lun. et. Ven. hh. II—V.
Speculae astronomicae praefectus est Prof. Dr. LUTHER.
Museo zoologico praefectus est Prof. Dr. HERTWIG.
Horto botanico Prof. Dr. CASPARY.
Nummophylacio academico Prof. Dr. HIRSCHFELD.
Collectioni mineralium Prof. Dr. BAUER.
Collectioni exemplorum artis antiq. gypso expressorum Prof. Dr. HIRSCHFELD.
Collectioni chalcographicae Prof. Dr. DEHIO.
Instituto geographico praefectus est Prof. Dr. ZÖPPRITZ.
Instituto medico-clinico et policlinico Prof. Dr. NAUNYN.
Instituto chirurgico-clinico et policlinico Prof. Dr. SCHÖNBORN.
Instituto ophthalmiatrico Prof. Dr. IACOBSON.
Instituto anatomico Prof. Dr. SCHWALBE.
Instituto pathologico-anatomico Prof. Dr. NEUMANN II.
Apparatui instrumentorum, machinarum et phantomatum ad artem obstetriciam pertinentium in maiocomio regio Prof. Dr. DOHRN.
Instituto physiologico Prof. Dr. de WITTICH.
Laboratorio chemico usui medicinae studentium et experimentis pharmacologicis destinato Prof. Dr. IAFFE.
Instituto physico usui medicinae studentium accommodato Prof. Dr. GRÜNHAGEN.
Laboratorio chemico Prof. Dr. LOSSEN.
Laboratorio chemico usui pharmaceutarum accommodato Prof. Dr. SPIRGATIS.
Instituto eruditioni agri cultorum destinato Prof. Dr. Baro de GOLTZ.
Laboratorio chemico eorundem usui accommodato Prof. Dr. RITTHAUSEN.
Instituto physico Prof. Dr. PAPE.
Laboratorio mathematico-physico Prof. Dr. VOIGT II.
Institutum clinicum veterinarium diriget Prof. Dr. RICHTER.
Hortum botanicum eruditioni agri cultorum destinatum diriget Prof. Dr. MAREK.
Laboratorium physiologicum eorundem eruditioni destinatum diriget Prof. Dr. MAREK.

VIII. SEMINARIA.

Seminarii theologici sectioni exegetico-criticae praefectus est Prof. Dr. SOMMER; sectioni historicae Prof. Dr. ERBKAM; sectioni exegetico-criticae N. T. Prof. Dr. GRAU; sectioni systematicae Prof. Dr. VOIGT; sectioni homiletico-catecheticae Prof. Dr. JACOBY.
Seminario littuanico V. D. Min. Prof. Dr. KURSCHAT.
Seminario polonico V. D. Min. PELKA.
Seminario iuridico Professores ordinarii ordinis iureconsultorum praefecti sunt (vid supra).
Seminario et Proseminario philologico Proff. Dr. FRIEDLÄNDER, Dr. IORDAN, Dr. LUDWICH.
Seminario historico Proff. Dr. RÜHL et Dr. PRUTZ.
Seminario Romanico-anglico Prof. Dr. KISSNER.
Seminario math. et phys. Prof. Dr. W. VOIGT.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DESCRIPTAE.

HORAE.	I. THEOLOGORUM.	II. IURISCONSULTORUM.	III. MEDICORUM.	IV. PHILOSOPHORUM.
VI—VIII.	.....	.....	*Schönborn*, curs. operat. chirurg. (4).	.....
VII—VIII.	*Iacoby*, theol. pract. p. sec. (4).	*Zorn*, ius gent. (4).	*Naunyn*, de morb. cereb. (1).	*Lossen*, chem. p. organ. (6). *Müller*, exerc. l. hebr. (2). *Id.*, ling. syriac. (2).
VIII—IX.	*Sommer*, introd. hist. crit. (1). *Id.*, antiq. sacr. V. T. (4). *Iacoby*, theol. pract. p. tert. (5).	*Krüger*, ius hered. Rom. (5). *Zorn*, ius admin. imp. Germ. (4). *Salkowski*, font. iur. Rom. (2).	*de Wittich*, physiol. experim. (4). *Id.*, physiol. aud. (2).	*Caspary*, botan. gen. (6). *v. d. Goltz*, de rat. in admin. (1). *Müller*, Coran. (2). *Schade*, hist. poes. German. vet. (5). *Umpfenbach*, fin. disc. (4). *Lohmeyer*, rei diplom. p. theor. (4).
VIII—IX½.	.....	.....	*Schönborn*, sel. cap. chir. spec. (1).	.....
VIII—XII.	.....	.....	.....	*Ritthausen*, exerc. pract. in lab. chem. (1).
IX—X.	*Sommer*, Iob. libr. (5). *Erbkam*, hist. eccl. pruss. (4).	*Güterbock*, proc. civ. iur. Germ. (6). *Krüger*, hist. iur. Rom. (5). *Salkowski*, pandect. p. I. (5).	*Naunyn* c. *Schreiber*, policlin. (6). *Neumann*, anat. pathol. (1). *Id.*, histol. path. (3). *Schwalbe*, anat. org. (2). *Id.*, neurol. (4).	*Caspary*, plant. offic. (3). *Friedländer*, epigr. graec. et rom. (6). *Ritthausen*, chem. nut. plant. (4). *Umpfenbach*, expl. stat. (1). *Id.*, oec publ. I. (3). *Zöppritz*, geogr. math. (1). *Id.*, geogr. Americ. (5).
IX—X½.	.....	.....	.....	*Zöppritz*, exerc. geogr. (1).
IX—XI.	.....	*Salkowski*, de iur. fam. (1).	.....	*Iordan*, in sem. philol. (1). *Luther*, geodaes. (2). *Voigt*, theor. calor. mech. (2). *Id.*, theor. gas (1). *Id.*, exerc. anal. in sem. phys. (1).
X—XI.	*Voigt*, hist. eccles. p. III (5).	*Güterbock*, proc. crim. (5). *Schirmer*, inst. iur. civ. Rom. (6). *Salkowski*, pand. p. alt. (5).	*Schwalbe*, osteol. et synd. (3). *Id.*, embr. anim. vertebr. (3).	*v. d. Goltz*, de rur. aestim. (4). *Iordan*, gramm. lat. (4). *Prutz*, aet. reform. (5). *Spirgatis*, chem. pharm. (4).
X—XI½.	.....	.....	*Naunyn*, clin. med. (6).	.....
X—XII.	.....	*Güterbock*, ius fam. et hered. Boruss. (1).	.....	*v. d. Goltz*, de prat. col. (2).
XI—XII.	*Voigt*, theol. dog. p. I (3). *Grau*, epist. Pauli ad Rom. (5).	*Dahn*, hist. iur. Germ. (5).	.....	*Walter*, hist. philos. (4). *Hertwig*, zool. (6). *Hirschfeld*, de Cyp. Rhod. Sic. (1). *Id.*, hist. art. Graec. (4). *Prutz*, introd. in stud. hist. (1). *Marek*, agric. spec. (3.)

HORAE.	I. THEOLOGORUM.	II. IURISCONSULTORUM.	III. MEDICORUM.	IV. PHILOSOPHORUM.
XI½—XII½.	.....	.....	*Iacobson,* de sens. color. (1).	.....
XI½—I½.	.....	.....	*Schönborn,* clin. et policlin. chirurg. (5).	.....
XII—I.	*Grau,* de nonnul. eccles. theol. (1.) *Id.*, vita Iesu. (4). *Klöpper,* cap. ex evang. syn. (1).	*Dahn,* ius commerc. (5).	*Iaffe,* chem. urin. (1).	*Bauer,* miner. c. cryst. (5). *Rühl,* exerc. palaeogr. (1). *Id.,* de antiq. hist. Ital. (4) *Baumgart,* hist. litt. German. (3).
I—VI.	.....	.....	.....	*Ritthausen,* exerc. pract. in lab. chem. (5). *Id.,* exerc. pract. (3).
II—III.	.....	.....	*Iacobson,* clin. et policlin. ophth. (5).	.....
III—IV.	.....	*Schirmer,* de iur. serv. (2).	.....	*Ludwich,* litt. Graec. hist. (4). *Pape,* phys. experim. p. II (5).
III—V.	.....	.....	*Neumann,* curs. micros. (3).	*Baumgart,* cap. sel. ex Arist. (1).
III—VI.	.....	.....	.....	*Marek,* exerc. in lab. (1).
IV—V.	*Voigt,* epist. Pauli ad Philipp. (1). *Id.*, sem. theol. (1). *Erbkam,* hist. controvers. (1). *Iacoby,* epist. Iac. (1).	.....	*Samuel,* hist. med. (1). *Id.*, therap. gen. (3). *Petruschky,* quomod. prohib. (1). *Id.*, medic. forens. (2).	*Bauer,* exerc. min. (1). *Friedländer,* sem. philol. Stat. silv. (2). *Ludwich,* Sophocl Antigon. (2). *Schade,* de Nibel. carm. (2). *Simson,* libr. Iesai. (5).
IV—VI.	.....	.....	.....	*Ludwich,* in prosem. Demosth. (1).
V—VI.	*Sommer,* sem. theol. (1). *Erbkam,* sem. theol. (1). *Grau,* sem. theol. (1). *Iacoby,* sect. sem. theol. (1).	*Dahn,* ius publ. reg. Bor. (5).	*Iaffe,* chem. physiol. et path. (5). *Stetter,* de luxat. (1).	*Ritthausen,* chem. alim. p. II (1). *Thiele,* logic. et cogn. theor. (4).
V—VII.	.....	.....	.....	*Hertwig,* histol. gen. (1). *Id.,* exerc. zool. (2).
VI—VII.	.....	*Krüger,* in sem. iur. (1).	*Falkson,* chirurg. gen. (2).	*Lossen,* theor. chem. cap. sel. (1).
VI—VIII.	.....	*Zorn,* sem. iur. exerc. (1).	.....	*Lohmeyer,* exerc. dipl. (1). *Rühl,* exerc. sem. hist. (1).
Defin.	*Klöpper,* epist. Pauli ad Galat. (2).	*Schirmer,* exerc. exeg. in sem. *Dahn,* exerc. in sem. *Zorn,* ius publ. imp. Germ. (3).	*Dohrn,* ambul. policlin. (5). *Id.,* curs. operat. obst. (4). *Id.,* de vit. pelv. (1). *Id.,* clin. obstetr. et gynaec. (5). *Iacobson,* exerc. op. ophth. (1). *Iaffe,* exerc. pract. in lab. *v. Wittich,* physiol. gen. (1). *Id.* c. *Langendorff,*	*Walter,* exerc. philos. (2). *Bezzenberger,* libr. lett. lituan. (1). *Id.,* gramm. ling. anglosax. (2). *Id.,* gram. palaeobactr. (2). *Caspary,* exerc. microsc. botan. (2). *Hirschfeld.* exerc. epigr. Graecae (1). *Iordan,* monum. epigr.

HORAE.	I. THEOLOGORUM.	II. IURISCONSULTORUM.	III. MEDICORUM.	IV. PHILOSOPHORUM.
			exerc. pract. in lab. (6). *Baumgarten*, anat. pathol. (1). *Id.*, histol. path. (2). *Id.* curs. demonstr. anat. (3 vel 4). *Benecke*, mechan. corp. hum. (1). *Id.*, entoz. hom. (2). *Berthold*, clin. otiatr. (2). *Id.*, exerc. us. ophth. (2). *Id.*, rhinosc. (1) *Bohn*, de morb. cutan. (3). *Id.*, de vaccin. (1). *Burow*, laryngosc. (1). *Id.*, policlin. prop.-chir. (2). *Caspary*, cap. sel. dermat. (1). syphil. (2). *Grünhagen*, de calor. anim. (1). *Id.*, curs. hist. (4). *Pincus*, med. forens. (2). *Id.*, med. for. in stud. iur. (1). *Id.*, de Hyg. (1). *Schneider*, aegr. syph. (1). *Id.*, morb. vener. (2). *Langendorff*, de respir. (1). *Id.*, de graph. phys. meth. (2). *Meschede*, Psychiat. spec. (2). *Id.*, clin. psychiatr. (2). *Münster*, de morb. neonat. I. (1). *Petruschky*, exerc. pract. medico-forens. *Schreiber*, pathol. et therap. spec. (3). *Id.*, exerc. pract. ausc. et percuss. (3). *Seydel*, de op. gynaec. (1). *Id.*, de gynaec. p. I (3). *Vossius*, diagn. phys. oc. (1). *Id.*, exerc. (2). *Treitel*, exerc. ophth. (2).	Latin. (1). *Kissner*, sem. romano-angl. (2). *Id.*, ling. francog. gram. p. alt. (6). *Lossen*, in labor. chem. exerc. (6). *Id.*, exerc. minor. in labor. chem. *Luther*, orbit. plan. (2). *Pape*, de meth. phys. (1). *Prutz*, sem. hist. *Spirgatis*, chem. theor. (1) [redacted] pract. in [redacted] exerc. philos. (2). *Dehio*, de Raph. (1). *Id.*, art. aedif. (4). *Garbe*, quom. nom. verb. decl. (2). *Id.*, gram. sanscr. (3). *Id.*, exerc. Pâlic. (1). *Kurschat*, sem. littuan. (2) *Marek*, excurs. oec. (1). *Richter*, policlin. veterin. (1). *Id.*, physiol. veterin. (4). *Id.*, de form. et aestim. *Rosenhain*, calc. variat. (4). *Id.*, theor. determin. (2). *Saalschütz*, de anal. algebr. (2). *Id.*, calc. diff. (4). *Id.*, de mechan. (1). *Voigt*, exerc. pract. in lab. *Wichert*, Tac. Germ. (2). *Id.*, pop. German. res (2). *Blochmann*, volum. chem. anal. p. *Merguet*, synt. latin. cap. sel. *Nötling*, exerc. palaeon. (1). *Id.*, geol. German. (2). *Schubert*, bell. Pelop. (3). *Volkmann*, sel. cap. math. phys. (2). *Pelka*, sem. polon. (4). *Favre*, le Misanthr. (1). *Id.*, dictat. (1). *Id.*, Reinecke Fuchs (2). *Id.*, exerc. gramm. (1). *Id.*, satir. Math. Regn. (1 vel 2). *Heinrich*, tachygr. German. (2). *Laudien*, art. org. can. *Id.*, exerc. can. (1). *Id.*, doctr. harmon. (2).

3 0112 105477241